


GERARDI IOANNIS VOSSII

D E  
PHILOLOGIA  
LIBER.



A M S T E L A E D A M I,  
Ex Typographio JOANNIS BLAEV.

M D C L.



Nobilissimis, ac Amplissimis, Dominis,

VIRIS CONSULARIBVS,

D. GERARDO SCHAEP, Illu-  
strissimorum Fœderatæ Belgicæ Ordin-  
um Consiliario, & ad Serenissimum  
Daniae Regem Exlegato, Athenæi Lug-  
duno-Batavi Curatori;

D. G V I L I E L M O B A C K E R O  
de CORNELIIS, Equiti S. Mar-  
ci, ac Senatus Delegatorum Hollandiæ,  
& West-Frisiæ, Asteffori;

D. CORNELIO GRAEF, Domi-  
no in Polsbroeck, Thesaurario;

Illustris hujus Scholæ

C V R A T O R I B V S,

Opus hoc Clarissimi Viri


GERARDI IOANNIS VOSSII

de Philologia

humillimè dedicat

FRANCISCUS IVNIVS F. N.

*Nobilissimi, Amplissimi, & Spectatissimi  
V I R I ,*



Votiescunque humani generis  
indolem intueor , diuque , ac  
multum , cogito , id animo oc-  
currit semper , quam nemo hic  
sit , qui non aliquam sciendi , ac  
descendi,cupidine teneatur.Sed  
enim nescio,quo fato fiat,quod,  
cum scire velint omnes , pauci  
adeo sint , qui , quo descendum quidque sit modo,  
quam methodo , aut sciant ; aut, quod pejus est, vel  
scire saltem laborent. Atque illi quidem,cum in pri-  
mâ ætate negligant laborum gradus,nec, quam lege  
proficiant,curent ; ac dein,maturiores facti, conti-  
nuò ad vota properent ; si quid etiam sciunt, sanè,  
id quod sciant,necessè est,nesciant;quia nempe aut  
solidam destituantur ratione , aut eà uti non possint :  
unde fit , ut, cum in forum venerint, deficient se-  
pe,& obmutescant, quasi, ut loquitur Satyricus, in  
alium terrarum orbem delati,imo sèpius etiam est,  
ut labent. At verò hi magis peccant, qui, cum vi-  
deant,multis opus esse artibus,ut ad solidam erudi-  
tionem accedatur ; principia consultò negligunt ,  
quò citius spacia decurrant : ac , ut ad institutum  
nostrum veniam,artibus liberalibus eruditiri nolunt,  
quia illæ , ut ajunt, virtutem non dent ; quasi verò  
iis non opus sit , ut animos ad accipiendo virtu-  
tem

E P I S T . D E D I C A T .

tem præparent. Et tamen hi ipsi etiam tolerabiliores essent, si , posteaquam jam arbitrio suo didicerint esse diserti , cùm jam se scire quid credunt, quamvis reverâ nesciant , non ambitione abrepti, & fastu, qui an non inscitiæ germanus est? alios omnes sanius edocetos, atque omnia, infra se ponerent. Et sanè his moribus jam vivitur, ut non modò non aliud laudent, quām quo ipsi valeant, sed non raro etiam vix aliud agnoscant eruditio homine dignum. Multa verò se nescire scivit Pythagoras Samius : qui, quamquam longo studio, atque accuratâ rerum omnium cognitione , ad fastigium humanae scientiæ pervenisse videri posset , quantum Gentili quidem licebat ; non se φάσει, sive Sapientem ; sed φάσας, sive Sapientiæ studiosum & amantem, nuncupari jussit; quod videret, quam id sit exiguum, quod scire hic vocamus: siquidem, præterquam quod plura sint, quæ ignoramus, sape etiam eorum, quæ scire nos existimamus, veritas in obscuro lateat ; ut adeò folius Dei sit, Scio, nec mutor , dicere. Offerimus hic Vobis , VIRI NOBILISSIMI , Eximiî GERARDI IOANNIS VOSSI de Philologia opus, quod eodem ad Vos, quo primum etiam, jure spectat. Eo docet , quis artibus, quas feri homines , qui mores suos iis emolliri nolunt, adeò spretui habent, debeatur honos. Eo monet, ut contemnamus ē ipsi eos, qui contemptim adeò de humanitatis studiis lequuntur ; quando satis graves inscitiæ sue fœnas hant , dum nihil illorum ca-

## E P I S T O L A

piunt, quæ assiduè captant; nec aliâ de caussâ sic ergâ penitiores insaniunt literas, quam quia sui similes velint esse ceteros. Videre hîc est, qui ad studia admitti debeant; quantò major naturæ, quam sexûs, habenda sit ratio: quam ad rem præivit jam laudatus nobis sapientiæ magister Pythagoras; qui, ut Crotoniatem, atque alios, quos minus idoneos explorâisset, reminusit; ita, quibus finixerat

### De meliore luto Titan precordia,

& pîcer aïdeas, à dà r̄ḡ yvâmas, in disciplinam recepit. De ipsis nunc artibus strictim quid dicere institui, non quidem iis, quæ *πληματιας* nomine veniunt, ut sunt Philologia, Mathesis, & Logice; sed de Grammatice, Rhetorice, Metrice, & Historia, quas Philologia sub se comprehendit. Scio equidem, Grammatices vocabulum aliquando pro Philologia accipi, sed fit id *κατὰ κατηγορίαν, καὶ ἀλλα κατέχει*. Propriè itaq; sumpta vel præcepta tradit, vel vocum docet significaciones. Illa qui negligit, non video, quomodo recte loqui possit; qui has, non loquetur, quin lædat Romanas aures: quinetiam qui harum proprietates insuper habet, magno conatu efficiet, ne alios intelligat, imò ne ipse intelligatur. Illa referuntur ad Grammaticen, quam Methodicen, sive Technicen, nuncupant: & quam in artem ab Aristotele primùm redactam primus docuit Epicurus; hæ ad Grammaticen Exegeticen, cuius ope sèpe fit, ut, quæ aliâs ejus ignaro difficillima videri possint, facili labore expli-

## D E D I C A T O R I A.

explicemus. Refert Pomponius Iureconsultus *I. 2. D.*  
*de Or. Iur. §. Post hos. 46.* Tuberonem doctissimum  
 fuisse habitum publici, simul & privati, juris inter-  
 pretem, ac complures eum utriusque operis libros  
 reliquisse: sed parum gratos fuisse ejus libros, quod  
 sermone antiquo usus esset. Contra vero Antistitium  
 Labeonem plurimam etiam, sed feliciorem, studiis  
 operam dedisse; ac difficillimos etiam juris nodos  
 solvisse ex verborum proprietate. Atque hoc spe-  
 ciant tot leges ejus, quae in penultimo Pandectarum  
 titulo *de verbis signif.* existant. Curam recte lo-  
 quendi excipit altera, quae est ornatae loquendi,  
 quam Rheticam dicimus. Ab ea diversa est Elo-  
 quentia, quae alio nomine Rhetorica facultas nun-  
 cupatur; quod nempe haec circa externum, illa cir-  
 ca internum, sermonis ornatum magis versetur.  
 Vtrobique palmam feret ille, qui verba aptarit re-  
 bus; & parva submissa, media modicè, magna gran-  
 diter proferre noverit, ut alicubi loquitur Castiodo-  
 rus; at optimè est, ubi & linguam, & pectus, lo-  
 quentis, scribentisque, mirari licet; quorum illam in  
 Aristotele, hoc in ipso Cicerone desideravere. Dan-  
 da etiam sedulò est opera, ne loquentiae multum,  
 sapientiae parum dicatur habere oratio. Metrices  
 sanè utilitatem satis illa indicant, quae de Orpheo, ac  
 Amphione, fabulis involuta, narrantur. Altera Phi-  
 lologicæ pars est Historia, illa temporum testis, lux  
 veritatis, vita memoriae, magistra vite, & nuncia

vetu-

E P I S T O L A D E D I C A T O R I A.

vetustatis. Agit ea vel de locis , de quibus est Geographia: vel de temporibus , quam Chronogiam vocant ; vel de stirpibus , quæ Genealogia dicitur ; vel de actionibus , quæ proprie sibi nomen Historiæ vindicat. Hæc sine istis nulla est ; siquidem sine locorum cognitione nemo scriptores vel sacros, vel externos , intellexerit. Temporum qui non habet rationem, non conciliabit Scripturas. Genealogiæ neget necessitatem , qui negare volet historias potissimum de personis esse , quæ familiis distinguuntur. At verò qui hisce se imbuit, facile veram historiam à facta; sacram à profana, dignoscet. Historiam autem legere quâ lege, & methodo oporteat , hoc in opere tradit Clarissimus VOSSIUS, quo eo accipite animo , V I R I N O B I L I S S I M I , quo , si per fata liceret, ipse offerret vobis. Valete, V I R I N O B I L I S S I M I , ac Reipublicæ Vestræ , & literarum , bono diu , ac feliciter, vivite incolumes. Amstelodami v Id. Quintil. St. Greg. C I O I C I : quo die, superioris seculi anno tricesimo sexto , ~~Amstelodami~~ ~~Antwerpia~~ DESIDERIVS  
ERASMVS. Author. D.

Nobilissimorum , & Amplissimorum  
Nominum Vestrorum

*devotissimus cultor*

F R A N C I S C U S I V N I U S F . N .

G E R A R -

1

# GERARDI IOANNIS VOSSII DE PHILOLOGIA LIBER.

## C A P V T I.

Quia Philologia pars est Polymathiae ; uti hæc liberalium studiorum : eò initio adfertur distributio totius liberalium artium , ac scientiarum orbis : atque usus , & præstantia eorum etiam studiorum exponitur , quibus ad disciplinas graviores præparamur.

I. §. **D**E Grammatistice , Gymnastice , Musice , Graphice , superiori nobis libro sermo fuit . Que artes , ut liberales dicimur , collatæ cum illis ßavariae , sive vulgaribus , ac sellulariis : ita magis liberalibus similes , quam liberales videantur , si compararemus eas cum disciplinarum iis , de quibus deinceps agre proposui . Siquidem quatuor istarum , de quibus vidiimus , nulla orationem dirigit , vel rationem : nulla etiam ( nisi quatenus pariter pertineat ad μλυματιαν , vel ipsam philosophiam ) pietate , aut prudentiâ , instruit mentes nostras .



C satis quidem liquet , tum de Grammatistice , tum de Gymnastice . Prior enim solum signa tradit , quibus liberales scientiae consignentur . Altera corpus , non animum , exercet . Verum de Musice , & Pictoria , video quibusdam alter videri . Ac de Musica quidem eò dissentient , quia hæc modulatione sonorum affectus componat : ut ex his videre fuit , que de Doricis , & Äoliis modis , antea dicta sunt . Non dissentior . Verum pertinet eadem ad Polymathiam , cum unam esse constet è septem artibus liberalibus . Præterea in quadriga illâ popularium artium propriè locum habet practica illa

A

Musica ,

## DE PHILOLOGIA.

2

<sup>t. contem-</sup> Musica, quā pueri imbuuntur. At *θεωρία* t̄ corum est *μαχητικόν*\*.  
<sup>plato.</sup> ac sublimioris considerationis: quomodo hic refertur. Atqui, in-  
<sup>\* mathema-</sup> quiunt, Musice naturā suā instillat teneris animis bene vivendi præcepta,  
<sup>tia magis.</sup> vel exempla. Multū dicent, si h̄c prestatet de iūo. At longè aliter  
est: quandoquidem exempla petit ab Historia, vel Poēti: præcepta  
haurit è philoiphia morali; quod ex Theognide, & aliis liquet. So-  
lūm igitur à se habet modulationem sonorum: quæ animos quidem  
studii, vel negotii lassos recreat, ut alacriores redeant ad labores.  
Verūm hoc est animūm ad studia, & virtutis opera praparantis: non  
jam studio aliquo, quo fiat sapientior, vel melior, occupantis. Gra-  
phice denique, sive pingendi ars, nihil propr̄ um obtinet, nisi artificium  
feliciter aliquid repræsentandi. Pingit exemplum virtutis: sed ab hi-  
storico, si verum; sīn fictum, à poēta illud mutuatur. Animalis, vel  
plantæ figuram ob oculos ponit: sed hanc accipit ab historia naturali.  
Atque ita in ceteris. Ut magnam habeat affinitatem cum Grammatistice.  
Quod h̄c literis, quæ vocum sunt symbola, id illa imaginibus, que non  
vocum, sed rerum signa sunt, significat. Et ita quidem cum quatuor  
illis artibus est comparatum.

2. §. At longè aliter est de disciplinis illis, quas, tanquam superio-  
ris ordinis, à quatuor popularibus secrevimus. Hę à quibusdam  
dispescuntur in *παιδίαν*, *λόγον*, καὶ *πρᾶξιν*, eruditionem,  
orationis, rationisque disciplinas, & scientiam.

Hęc tria quia retinuisse, nihil se amisisse ajebat Stilpo Megarenſis:  
ut Laërtius in ejus vita refert, & ex eo Hesychius Illuſtris. Porro per  
*πρᾶξιν* videtur intellexisse Philosophiam. Per *λόγον* autem, Gram-  
maticen, Rhetoricen, Poeticen, Logicen. Per *παιδίαν* vero, Histo-  
riam, & Matheſin.

3. §. Alii apertius aliquamò dividunt in hęc quinque; τὰ Φυσικά,  
τὰ ἴδια, τὰ μαχητικά, τὰς ἐγκυρίας λόγους, καὶ τὰ  
τέχνην πᾶσαν εμπειρίαν naturalia, moralia, mathematica,  
doctrinam, quæ orationem & rationem format, om-  
némque artium peritiam.

Quæ universa calluisse dicitur Democritus Abderita: unde, & *πέντε*,  
*τέλος*, sive *quinquertio*, est nuncupatus. Auētor Laërtius in Demo-  
critio. Postea vero, ubi memorat, quæ de singulis horum scripsit  
Demo-

## D E P H I L O L O G I A.

3

Democritus, τὸς ἐκεντῆτος λόγος vocat μέτωπα: eoque refert poësin, vocabulorum explicationem, & alia. Per πρώτην verò, quæ postremum obtinent locum, intelligit medicinam, picturam, artem militarem, & quæ hujusmodi sunt.

4. §. Evidenter, pleniorque mihi distributio videtur in doctrinam rerum, & rerum. Verborum illa est tum Grammatices, tum etiam artis Rhetoricae, & Poëticae, quatenus circa sermonem versantur.

Nam ratione rerum sublimioris sunt considerationis, & Eloquentiae nomine continentur; ut postea dicetur.

5. §. Doctrina rerum est quadruplex. Nimirum vel est memoriae, ut Historia, sive naturae, sive gestorum: vel phantasie, ut Poësia: vel rationis, ut Philosophia: vel revelationis, ut Theologia.

Ac omnis haec doctrina, verius doctrinæ nomen meretur, cum sermo potius sit vehiculum doctrinæ.

6. §. Omnim autem apertissime divisurus mili videor in tria disciplinarum genera: primum carum, que pertinent ad πολυμαθίαν; ut quæ ciam parant ad Philosophiam. Alterum illarum, que pars sunt Philosophie, studiorum regine. Tertium est hujus Regine comitum, ac instrumentorum; cuiusmodi utraque est Eloquentia.

Vt distributio haec facilius intelligatur, à fonte rem arcessam, deque universæ doctrine ratione pauca dicam.

Quotquot studius incumbimus, ad horum aliquid collimamus: ut alii alios intelligamus: in sciamus res divinas, & humanas: ut bene dicamus. Proque triplici hoc studiorum fattiō, triplex est doctrinæ genus; linguarum, sapientie, & eloquentie. Sed sapientie studium partim circa singula versatur: partim circa universi genera. Singulorum est historia: quæ vel rerum naturam, vel gesta Dei, ac hominum describit. Universum genus considerant haec tria; Christiana pietas, prudentia civilis, & scientia naturalis. Pietas Christiana praefat, ut beati simus post hanc vitam. Prudentia civilis, ut recte alis præfimus in terris. Scientia naturalis, ut sciamus rerum naturalium cauillas. Nam

## DE PHILOLOGIA.

4

ed hæc historiam naturalem excedit, quod illa narret, quæ sensibus observantur: hæc verò ratione indaget occultas rerum causas. Supereft eloquentia, cuius incunabula habemus in elegantia, & ubertate sermonis; & catenus pertinet ad prævias disciplinas. Consummatur autem, si cum prudentia civili conjungatur. Quod cùm fit, magnum est Politici hominis instrumentum ad flectendos animos in senatu, in judicis, in concione, in castris. Per universa hæc studia animum suum diffuderat Julianus Cæsar: magnus omnino vir; sed major futurus, nisi Libanum nimis aestimasset. De eo sic Ammianus Marcellinus lib. xv : *Per omnia PHILOSOPHIAE membra prudenter disputando, currebat. Sed tamen, cùm hæc effecte, plenèque colligeret, nec humiliora desperat: POETICAM mediocriter, & RHETORICAM, (ut ostendit orationum, epistol. r̄um que ejus cum gravitate comitas incorrupta) & nostrarum, externarumque rerum HISTORIAM multiformem.* Super his aderat Latine quoque differ-

\* Valerius, \* sufficiens SERMO. A summis ad ima descendit Ammianus. Nos contrà adscendemus ab imis. Videamus, ut cum laudet à sermone etiam Latino; haec tenus faltem, quod è parte etiam suffecerit. Græci autem sermonis ea est illi elegancia, is nitor, ea facundia, ut omnes rapiat in admirationem sui. Tribuit quoque historiarum notitiam, & rhetorices, ac poëticæ. Atque hujusmodi fuisse ait in studiis humilioribus. Imprimis verò attendisse ad philosophiam, sic ut de quaunque ejus parte prudenter differeret.

Hinc generatim delibatis veriis, quam expositis, nunc à Επιφυλαξ, cuius partem esse Philologiam, inferius liquebit, initium capiamus: ac proximè quidem à vocabulo ipso, & aliis ejus appellations: quandoquidem ea petuntur à natura, atque usu ejus: de quibus hoc loco singulatim agere, propositum est nobis.

7. §. Artes, quibus ad philosophiam præparamur, Græcis propter eas  
Ἑγκαιδεῖας, vel Ἑγκαιδεύταρ nomine, censentur. Et quia latè hæc artes patent, etiam πολυμάχια, vel πολυμάχοις, Latinis variæ eruditio[n]is, nomen obtinent. Præterea nuncupant ἐγκυλοπαιίας, quam Latini disciplinarum orbem reddiderunt. Artes ipse similiter ἐγκύλοι dicuntur, vel τέλεσθέντες. Quomodo & Latini artes vocant liberales, tanquam libero homine dignas.

<sup>1. scientias</sup>  
<sup>liberorum</sup>  
<sup>humani,</sup> Sanè si Aristoteles ipse quatuor eas, de quibus superiori libro egimus, τέλεσθέντες, ter in octavo Politicorum nominat: quanto magis

magis id nominis tribuendum illis, quibus ad philosophiam proxime  
præparamur! Imò has ἐλεύθεροις Seneca quoque *liberales* appellat epist.  
**LXXXVII.** Sed existimat, id vocabulum aliquanto esse augustinus, quam  
ut orbi disciplinarum conveniat. Mavult ideo *pueriles* vocare; utique  
præcente Posidonio; ex cuius sententia quatuor statuit genera artium.  
*Sunt*, inquit, *vulgares*, *sunt ludicræ*, *sunt pueriles*, *sunt liberales*. *Vulgares*,  
*opificum*; *que manu constant*, & ad instruendam vitam occupatae sunt. *Lu-  
dicræ*, *que ad voluptatem oculorum, atque aurium, tendunt*. *Pueriles*, &  
aliquid habentes liberalibus simile, *quas ἐλεύθεροι Έλληνες, nostri liberales vocant*.  
*Sole autem liberales sunt*, imò, *ut virtus dicam, libere*, *quibus cure animi  
virtus est*. Sed nihil causis est, cur disciplinas, quas ille *pueriles* vocat,  
honesto *liberalium artium* nomine fraudemus. Nec enim dicuntur  
*liberales*, quia liberum faciunt; quod sola Philosophia promittit, & præ-  
stat: sed *quia libero homine dignæ sunt*; ut ibidem pse agnoscat Seneca.  
Hinc Terentius Eunicho \* sic eas ~~τελεόρασι~~: *Quas librum scire æquum* \* <sup>et 3.</sup>  
est: *que Comici verba infra plenius explicabamus*. Idem videtur Plinius velle in prefat. libri xiv: *Pessum*, inquit, *iere vite pretia: omnes-  
que à maximo bono liberales dictæ artes, in contrarium occidere; ac servitute  
sola proficere cōceptum*. Vbi maximum bonum vocat libertatem; unde ei ser-  
vitutem opponit: ut sententia Plini fit, *liberales* dici ex eo, quia conve-  
niant illis, qui fruuntur libertate. Atque eodem sensu a Cicrone, Ovi-  
dio, & aliis, *ingenuæ* vocantur.

His artibus animus noster ad philosophiam preparatur. Vnde Pythagoras apud Stobaeum sermone XL : *σέ τε τοι μεγάλων μυστηρίων πίνεται οὐδείς, καὶ τοι φιλοσοφίας πειθαίται. Ηταν μάγια μυστήρια τραδί, δεῖται μινόρα : σὺ Φαρετικός από την Φιλοσοφίαν.* Cui simile hoc Simplicius in Enchiridion Epicteti t. Adversus τοι μεγάλων μυστηρίων πίνεται οὐδείς, καὶ τοι φιλοσοφίας πειθαίται. Nec enim fieri posse ait, ut participes similes majorum mysteriorum, minorum expertes. Eadem mens Seucæ epist. LXXXVIII : *Quare liberalibus artibus filios erudimus? Non quia in ruitu mādere possint: sed quia animos ad accipiendam illam præparant.* Ibidem de his artibus inquit : *Rudimenta sunt nostra, non opera.* Nec abeunt vel Iudei, vel Christiani. Laetanti enim est lib. IIII. c. xxv. *Multus artibus opus est, ut ad Philosophiam possit accedi.* Ac Philo Iudeus πλούσιος, sive περικλείστος, vocat proemium, & vestibulum sapientie. Quemadmodum & famulam ejus appellat, & cum Agar continet, quæ Sarx ancilla erat. Eleganti etiam allegoria art, ut Abraham prius ex Agar suscepit, quam Sarx nascetur: ita nos prius misericordie ancillæ Philosopheræ, hoc est, liberalibus disciplinis, quam prolem ex virtute concipimus. Multus

## DE PHILOLOGIA.

est in hoc argumento libro τοις τοις περιπτωματοις συνοδεις. Ac inter cetera sic scribit: Οὐ γάρ ιστηκεν δέκαθι πών γονάς αρετής, εἰ μὴ τρεῖς πόνον εὐπάχυνεν αὐτῆς τῇ θεοπανεύσι. Θεοπανεύσις ἡ σφίλα, οὐδὲ τῷ περιπτωματικῷ εὐπάχυνεν, μετακόνι, καὶ λογικόν. Εἰστις γάρ εἰναὶ πεντακόνια εὐπάχυνεν ταῦτα πολεῖται τῷ περιπτωματικῷ, διὰ τὸν εἰστιν θεοπανεύσιν εὐπάχυνεν ταῦτα καὶ αρετής περιπτωματικά ταῦτα εὐπάχυνεν. τοῦτο γάρ ὁδός εἴσιν εἰπεῖν φέρεσσι. Χαῖρε γάρ εἰδίνω, τοῦτο μεράλων οὐτερέστων μεράλων καὶ τῷ περιπτωματικῷ εὐπάχυνεν τῷ περιπτωματικῷ διεγένετον βίον. εἰνέτως δὲν, καὶ Βεργίστης χαῖρεται περιπτωματικός, ἀλλὰ γραμματικός, γραμματικός, διπρονετής, πότερον μετακόνι, τοῦτο εἴτε λογική θεωρία πάσῃ, εἴτε οὐ πλεονεκτὸν Σάββας θεοπανεύσις ξαρζός. Νον συμιστεί ενίσιας idonei prolem ex virtute suscipere, νη prius congregatamur cum eius famula. Est autem sapientiae famula Musica, Logicaque, quā liberaliter institutior. Sicut enim in domibus vestibula sunt ante ianuam; Turbes habent suas suburbia, per quae adcantur: ita & ante virtutem artes liberales sic sunt. Nam illa per hanc viam adiungit. Sciendum autem, quod magnorum argumentorum magna esse convenit etiam proaemia. Atque virtus est argumentum maximum. Habet enim materiam maximam; videlicet totam hominum vitam. Merito igitur non parvus nescitur proaemis; sed Grammatica, Geometria, Astronomia, Rhetorica, Musica, reliqua contemplatione Logica universa; que significantur per Agar, Saræ famulum. Quid hinc manifestius, quam sermocinandi, & ratiocinandi artes, ac praterea disciplinas Mathematicas.

\* apud Lascas, premitti philosophia debet? Objectet aliquis Heracliti illuc\*, ertium in πελουμαδινούσι διδάσκει, varia eruditio mentem non docet. Item, quod Heraclito. + item ex Cynici τῷ εὐνύχια μαθήματα rejiccent. Atque idem de Stoicis di- tremolib. 6. cat, & Epicureis, ipsoque Seneca; qui utramque hanc sectam se- batur, & ex duabus facere voluit eum. Nam & ille variam eruditio- nem ridere videtur lib. de brevitate vite cap. xiv: item ep. lxxxviii. Verum omnes isti non aliud volunt, quam liberalibus disciplinis non esse inhaerendum; quia non dent virtutem; sed tantum preparent; ac ri- dimenta esse debeant, non opera; quemadmodum antea ex ipso Seneca dicebamus. Nec Sanctorum patrum illi, qui secularia reprehendunt stu- dia, alios damuant, quam qui modum in his studiis non tenerent; cum- que famulari veræ debeant sapientię; ea nihilominus supra dominiam ipsam efferrant: ut gentiles faciebant, & plerique Christianorum; qui ex Philologis, ac Philosophis, in Ecclesiam recepti, sic prima studia misce- rent sacro, ut Christianam religionem non ornarent, sed corrumperent. Ceteroquin satis videbant liberalia studia esse donum Dei, atque eruditio- nem inter humana bona primum tenere locum: de quo Nazianzenus ora-

oratione in laudem S. Basili. Imò quantum Christianis ex eruditione  
varia accedat, non ignoravit Julianus Cœsar: qui cvertendæ religioni  
nostræ faciem esse viam arbitrabatur, si is positionis literature fer pao-  
res non præligerentur in scholis: ut videre est apud Nazianzenum in-  
vectiva i in Julianum, Socratem lib. <sup>1</sup>ii, cap. <sup>1</sup>ii, & xvi, ac Sozome-  
num in Tripart. lib. <sup>1</sup>v, cap. xxxvii. Ac ne Christianos id fallo obje-  
ctasse credas, agnoscit & homo gentilis, Ammianus Marcellinus:  
qui gemino in loco, libro videlicet xxii, atque iterum xxv, narrat <sup>1</sup>, ut prohibuerit,  
ne quis Christianus doceret Grammaticen, vel Rheto-  
ricen. Quibus nominibus humaniores oīnes literas, hoc est, proprie-  
tatem vocabulorum, historiam universam, stylū doctrinā, ac enarratio-  
nem oratorum, poētarūque complectebatur. Nimirum acutus, ac  
perspicax imperator satis videbat, quo pacto maxime posset nocere  
religioni Christianæ. Vt in modo nunc non pauci adeo, quos illustri  
loco in Ecclesia sua constituit Deus, tam parū efflent oculati, ut nec-  
dum viderent, quantum hæc studia humanitatis majoribus conferrent;  
eoque tibi, & aliis, perfunsum irent, sufficere ti illa minora gaſtemus, ut,  
crocodili metu, canis folet Nilum. Quales tantum non dicit, dictipulse  
Iulianum; cum ex Grammaticis, & Rhetoriciis, ad Christianam religio-  
nem multum adeo utilitatis redundare arbitraretur. Equidem dixerō à  
multis esse lustris, quod experientia, que studiorum etiam magistra esse  
folet, didici. in hisce etiam literis nostris locū habere illud Aſceri vatis <sup>1</sup>:  
*whic̄ fūra mōre* <sup>1</sup>: majoraque esse speranda ab us, qui, penitioribus  
prūs literis imbuti, post operam dimidiā, vel longe minorem etiam  
minoribus studiis impentam, reliquum dimidiū in majoribus decurrete  
gestiunt; quam illis, qui, hisce levioribus contentis, ad graviora conti-  
nuo provolarunt, longaque etiam ætate confénerunt, & tōia haec fiducia  
magis sibi videntur Aristarchi; cum inter nihil ab us sperare licet  
eruditis vel oculis, vel auribus dignum; beneque agi nobiscum putemus,  
si non tales bellum literis, & literatis indicant. Quod non pauci faciunt.  
Sed hos, qui contentim adeo de humanitatis studiis loquuntur, con-  
temnamus & ipsi; quando graves satis infatuæ sue peccas hant, dum  
nihil illorum capiunt, quæ afflue captant; nec alia de cautla sic erga  
penitiores infamunt literas, quam quia sic timiles esse velint ceteros.  
Quam cautlam verè adsignat magnus ille & re, & nomine, Theologus,  
Gregorius Nazianz, orat, in fin. Basili. Oœcœ. Liquæcœ. & ræbœcœ. *Li-*  
*rœcœ dœcœ nœv.* *αποστολικαι αποτελεσματικαι επιστολαι.* *απο-*  
*βλεbouτ αποτελεσματικαι επιστολαι.* *αποτελεσματικαι επιστολαι,*  
*και τεcœ αποτελεσματικαι επιστολαι.* Non igitur honore suo sum-  
danda

danda est eruditio, quia sic videatur nonnullis: sed potius eos esse levos, & imperitos existimabimus, qui ita sunt animati: qui veleant omnes sibi esse aggregatos, ut in communione grege capti corum lateat, & insitiae reprehensionem effugiant. Quæ verba etiam Iusto Lipsio adducta lib. i Manud. ad Stoic. philosoph. Sed Græca non satis cepit: ut vel illud arguit, quod sic vertat, censendum levos, & imperitos illos sic affici.

## C A P V T . I I .

Qui admitti ad studia debeant: inque his etiam feminas reponendas: item de ordine studiorum.

1. §. **Q**uod si artes h.e preparant ad omnis sapientię, ac prudentialie studium, quod Philosophiam dicimus: non potest non uterque sexus ad h.eas artes admitti. Scio, id negari à nonnullis; qui inde pudicitie periculum esse arbitrantur. Sed si recta, ac conveniens ineat studiorum ratio, nullam animis inferent noxiam.

Quod sapiens ille Hispanus, Ludovicus Vives, ostendit partim de Institutione Christianæ feminæ lib. i; partim libro de Officio mariti cap. de disciplina feminæ.

2. §. Et sanè qui sexum alterum ad studia idoneum negant, jam olim rejecti fuere ab omnibus philosophis.

Quippe Pythagoras, ut in ejus vita refert Malchus, hoc est, Porphyrius, instituit & μένον ἀδελφας, & οὐκ ζεύς τινας, non solum viriles, sed & feminas. Inque his ibidem refertur Theano; uti & ab Iamblico in eisdem Pythagoræ vitâ. Et ante hos idem tradiderat Didymus libro de Philosophia: unde hoc refert Clemens lib. i Stromat. Εγειρόμενην πεντε τοιάνταν φίλοσοφην, καὶ τινά μάλιστας τινάς αἱ πρώται συντελεῖται την θεωρίαν φιλοσοφηταί εἶναι, & ποιήσασθαι συγγένειαν. Finis enim Brontini Crotoniatis filiam, ipsius Pythagoræ uxorem, proditum est Laertius lib. viii, & Theodoreto<sup>\*</sup> Serm. i de principio adversus Gentes. Nec rur auctoritate aliter animati fuere Stoici, Epicurei, ac Academicci ipsi. De quo sic in libro Laertianus lib. iii, cap. xxv: *Senserunt hoc adeò Stoici, qui & servis, edit. comp. & mulieribus, philosophandum esse dixerunt: Epicurus quoque, qui rudes* em-

*omnium literarum ad philosophiam invitat: item, Plato, qui civitatem de sapientibus voluit compонere.* De Epicureis etiam firmat, quod mox sub-jungit: *Denique nullas unquam mulieres philosophari docuerunt, pr̄ter unam ex omni memoria Themistē.* Ea Themistē erat Leontii conjux, ad quam Epicurus scripsit. Ut nihil eausē sit, cur *Themistoclea* legamus, Quamquam hoc quoque institutum nostrum firmet: sed de Pythagorēis. Themistoclea enim Pythagorēa soror fuit.

3. §. *Verūm sectas mittamus. Quantus earum numerus, que sive aliqui se secte addixerint, sive minus; pulcram sibi laudem pararint eruditione!*

Innumerus propē cūm numerus est: & multas retulimus quadru-plici opere de Græcis, Latinisq[ue], tum historicis, tum poëtis. Ne ta-men nihil nunc agam, plusculas adducam: sed vix alias, quam iis libris indicetas nobis.

Hellenicus, & ex eo Tatianus, initio libri adversus Græcos, ait, Atosslām in Persia imperasse, primamque docuale *Ταντάξεις οὐ γένεσιν, epistolās scribere.*

Alexandri Magni ætate, videlicet Olympiade C XI, claruit Hipparchia, soror Metroclis Cynici, uxor Cratetis Cynici: de qua pluscula Laetus lib. vi. Ea scripsit de argumentis philosophicis, item epicheremata, & questiones ad Theodoram, cognomento Atheum: ut est apud Suidam.

De Pamphile Ägyptiæ, quæ Neronis tempore vixit, oculo libris historicis miscellæ, vidimus lib. I. de Historicis Græcis, cap. vii.

Atheneo lib. I. cap. viii celebratur Agallis Corcyrae grammatica: à qua in literas relatum ait, pilæ lufum eis reperitum à Nauficaa: sed existimat eam hoc dedisse honori sue gentis. Nam Diexarchum Sicyonis quidem, Hippalus verò Lacedæmoniis tribuere. Sed pro Agallide est, quod Homerus solam ex herois Nauficaam inducat pilâ ludentem. Ceterūm quam Atheneus vocat Agallidem, (sic enim constanter in ejus legitur codicibus) hæc Suidæ dicitur Anagallis. Et videtur hæc vetior esse scriptura: partim quia mendi suspicionem tollit series literarum: partim quid *ἄγαλλος*; etiam hebreæ sit nomen: & non sit inusitatum, nomina à plantis imponi; ut ex Fabis, Psionibus, Lentulis, Ciceronibus, liquet.

Tres Romanas feminas his verbis celebrat Quintilianus I. I. cap. I: *Gracchorum eloquentie multūm contulisse accepimus Corneliam madrem;* cuius

cujus doctissimus sermo in posteris quoque est epistolis traditus : & Lælii filia reddidisse in loquendo pater. an. eloquentiam dicitur : & Quintili Hortensi filiae oratio, apud Triumviros habita, legitur non tantum in sexies honorem. De Hortentia idem reperias apud Valerium Maximum lib. viii. c. iii, & Appianum lib. iv de bellis civilibus \*. Tacet Fabius de literatissima Vari conjugé : de qua Servius in Eclog. iii : item de Cornificia ; de qua sic Eusebius, sive potius ex Tranquillo Hieronymus in Chronico ad annum cccc x cccccc lxxv i : *Cornificius poeta, a militibus defensus, interiit ; quos, saepe fugientes, galeatos lepores appellaverat. Ille prius Cornificius ; cuius existant insignia epigrammata.* Quæ verba vari postea exscripsere : in his etiam Vincentius Bellovacensis lib. xxxii Speculi Natur. cap. li. Sed male apud eum legitur *Cornificina*, Ioanni Glendorpio in Onomastico veritimaliter eadem videtur ac illa, de qua sic Guido Bituricensis, titulo de Memoria : *Cornificia, mulier Romana, quæ, regnante Cæsare Octaviano, claruit, dicere solita est, solam doctrinam liberam esse, in quam fortuna tela sua figere non posset.*

Catharina Alexandrina, virgo doctissima, si Actis ejus credimus, claruit sub Maximino ; ac xviii annos nata, cum quinquaaginta philosophis disputasse dicitur ; eosque subtilitate sermonis viciisse, atque ad Christianam convertisse religionem. Passio ejus refertur ad annum Christi ccc vii. Meminere ejus Beda, Vsiuardus, Ado. In vett. coll. *Æcatharina*, vel *He-catharina* dicitur : quod corruptum videtur ex Η Καθαρίᾳ.

Et quid doctius Zenobiā, Palmyrenorum reginā, religione Iudeā ? quæ quanta fuerit, ex Aureliani Cæsaris ad Senatum Romanum literis apud Trebellium Pollionem videre est. Idem Pollio refert, eam scisse Latinè, locutam quoque *Ægyptiacè* : Historiam etiam Alexandrinam, atque Orientalem, compendio constringuisse. Latinam Græcē legerat. Ad Græcas verò literas, ut Flavius Vopiscus ait, magistrum habuit Dionysium Longinum, Porphyrii philosophi antea magistrum, ac, ut Eunapius eum vocabat, βιβλιογράφῳ ἐμψυχῳ, καὶ πεποιησθεῖ μετανοιῶν bibliothecam, & ambulans museum : cuius & hodie aureolus exstat liber ωδίον, sive de sublimi charætere.

Sosipatra etiam, Eustathii, magni nominis viri, conjux, ut Eunapii in Ædesio verba usurpem, τὰ πεποιηθέντα βιβλία οὐδὲ σύντομον, καὶ φιλοσόφων, καὶ ἀντίστοιχων, καὶ ἔσται γε τοῖς πεποιηθέντοις, καὶ πεπλακτορίνοις μόλις παρέχεται, ἡ αὐστροῦ εἰδέναι ταῦτα εἰπεῖν, μετ' ὀλιγωρίας ἰσχεῖται, δικράνως, καὶ ἀλλπάντως εἰς τὸ συφέρει δημιουρέχονται, non poitarummodo, sed etiam philosphorum, atque oratorum scripta, in ore habebat ; & que ceteri diff-

culter,

\* pag. 6.8  
ed. H.  
Steph.

culter  
ingen  
declar  
illam  
gloria  
domini

Qu  
Latin  
cujus  
quas  
la, Ma  
ad qa  
etrina

Hyp  
Altron  
d'scfer  
chius  
ste, ca  
cunde  
bus nu  
Socrat  
lib. xi  
Savilia  
netis ;  
Cleopatra  
Aristote  
fato ;  
quem  
Lector

Ac  
philoi  
literis  
egregie  
Theod  
Conitan  
Circ  
celebra  
Euthari  
ab Iusti

cultus, atque obscurae poterant percipere, neque nisi cum magno molitione, & ingeniorum tormento, haec illa otiosè, circa laborem, explicabat, promteque declarabat. Narrat item, licet maritus Eustathius summus esset vir; illam tamen sic præluxisse, ut propter sui excellentiam obscurarit mariti gloriam. Resert præterea, ut post mariti excessum liberos instituerit domi: & in hac re opitulatus fuerit ejus amantissimus Aedesius.

Quid dicam de Eustochio, Paullæ Romanæ filia, Hebraicæ, Græcæ Latinæque doctâ, inque sacrarum literarum lectione penè affiduâ? de cuius laudibus plura apud B. Hieronymum. Quid de aliis loquar, ad quas epistolæ extant ejusdem Hieronymi? Vt sunt Paulla, Læta, Fabiola, Marcella, Furia, Demetrias, Salvina, Gerontia. Quid eas quoque, ad quas literas habemus Ambroxi, Augustini, Fulgenti? Quarum doctrinam illæ ipse epistolæ testantur.

Hypatia illus Theonis Alexandrini, cuius scripta habemus, filia fuit, & Astronomicarum rerum valde intelligens: sed Alexandrini epis corpus discripsiæ, ac fractum sparsérunt. Quam rem breviter tangit Hesychius Milesius. Res autem ita habet. Quia frequentius esset cum Oreste, calumnia occasio data est clero B. Cyrilli. Ex eo Lector Petrus aliquid redeuntem curru detraxit: inde in Ecclesiastim protracta, vestibus nudata, in frusta dissecta, combuttaque. Vide hæc fuisse narrantem Socratem Histor. Eccles. lib. VII. cap. xv, & Nicephorum Callistum lib. XIV. cap. XVI, ac imprimis Suidam in T'ποιᾳ. E junioribus adi Savilium Prælectionibus in Euclidem<sup>16. cap. 13.</sup>. Extant ad eam epistolæ Synelly; ubi nunc inscribit, τῇ φιλοσοφῳ Τ'ποιᾳ, nunc simpliciter τῇ φιλοσοφῃ. Etiam Pauli Silentiarum in eam epigramma habemus lib. I. Αὐτολογίᾳ. Quamquam vero non possum non dolere tam tristi Hypatiae fato; non tamen tam irascor B. Cyrillo, patriarchæ Alexandrino, quem ab eo facinore planè immunem fuisse contido; quam Theodoro, Lectori ejus, ac concitatæ ab illo plebi Alexandrinae.

Ac utsdem temporibus claruit Eudocia, Athenas pris dieba, Leontii philosophi filia, uxor Cæsaris Theodosii junioris, Græcis, Latinitque literis imbuta, poematum studiosa, mathesies, ac philosophiæ studiis egregie exulta: de qua plura Socrates lib. VII. Hist. Ecel. cap. XXI, Theodorus Lector initio Collectaneorum, Chronicon Alexandrinum, Constantinus Manasses, ac Nicephorus.

Circa annum Christi quingentesimum, doctrinæ, & sapientiæ nomine celebrata est Amalasuenta, filia Theoderici, regis Gothorum, uxor Eutharici Cilicæ, cui palmata vestis fuit, sive consularis dignitas, collata<sup>16. cap. 13.</sup> ab Iustino Imperatore; Athalarici autem Regis mater: de qua sic, <sup>16. cap. 13.</sup>

inter alia , Cassiodorus lib. x Variarum epist. iv : *Hinc est, quod ejus doctrina mirabilis per multiplices linguas magnâ ubertate diffunditur. Cujus ingenium ita paratum reperitur ad subitum, ut non patetur esse terrenum. In libris Regum Regina Austræ venisse legitur ad descendam sapientiam Salomonis : hic Præcipiæ audiant, quod sub admiratione cognoscant.* Tam erudita , & prudens regina, nihil æquè studuit , quâm ut filius Athalaricus , (quo annos tantum octonus nato , ipsa habens regni sicccepit , anno Christi 10 xv) sedulò literarum studiis incumberet : sed , per Gothos capropter tumultuantibus , coacta est desistere ab instituto : ut Procopius est testis lib. i de Bello Gothicō. Qui & de nece ejus narrat : uti quoque Iornandes. Incidit mors ejus in annum Christi 10 xxxiv.

Helpis , Boëthii (quo Romanus orbis post Varronem . & Nigidium Figulum , nihil habuit doctius ) erudita conjux , anno floruit 10 xxx. Reliqui hymnos in Apostolos.

Anno 10 xc , quo obiit S. Radegundis , in honore erat alumna ejus Bandoninia , quæ de sanctæ dominæ sue vita librum reliquit. Habes apud Surium a. d. xiii. August.

Circa annum 10 c lxxx claruit Hilda Abbatissa Angla , Heretici principis Deiriorum filia ex Brefquida , ut Beda vocat , sive ut ali appellant , Beorwida , soror Hereswidæ , quæ mōter fuit Aldulphi , Orientalium Anglorum regis. A multiplici doctrina celebrat Joannes Pitheus in scriptoribus Anglicanis. Vide de ea Bede Historiam Eccles. gentis Angl. lib. iv. cap. xxiiii ; ubi inter alia commemorat , ut etiam reges , & principes , ab ea consilium petierint ; quod prudentiam arguit : item ut ex ejus monasterio quinque viderit episcopatū honorem adeptos : quod , inter alia , ostendit doctrinæ , ac pietatis zeium.

Circa annum 10 c c lxx S. Rertruda , virgo nobilis , multum profecit in literis sub magistro Alcuino. Post cuius ex Anglia discessum , in monasterio S. Benedicti apud Cantuarienses , porrò studiis insudavit. Epistolis , & aliis memoratur : quæ in Anglicanis Bibliothecis adservantur.

Anno 10 c c lxxx in pretio ob eruditionem , inque aliis convertendis sanctimoniam , fuit S. Walpurga , sive Walpurgis , S. Willibaldi , & Willibaldi soror. Condidit Hodœporicon fratris Willibaldi. Vitam Walpurge scripsit Philippus Aichstadianus. Exstat Tom. iv Antiquæ Lectionis Henrici Canthi.

Duobus quasi seculis junior hac fuit Rhosota monialis , ut loquuntur. Nam claruit sub Cæsare Othono primo , & secundo. Latine , Græcæque erat docta. Panegyricum de Othonum gestis scripsit , item comedias

mœdias sex, laudes B. Virginis versu elegiaco, eodem B. Dionylji vitam, atque alia. Plura de ea diximus in Historicis Latinis: item lib. de poëtis Latinis.

Anno Christi c i o c x l claruit Anna Comnena, Alexii Comneni, Imperatoris Constantinopolitani, filia: que Alexiade suâ, sive quindecim libris de gestis Alexii Comneni patris sui, doctrinam, & facultatem, pariter comprobavit. Atque hoc magis parebit, ubi integrum ediderit clarissimus, & amicissimus, Ioannes Gronovius. Cujus ingenio, ac doctrinæ, multa jam debet, pluraque brevi hoc seculum debebit. Dux etiam de Comnena lib. ii de Historiis Græcis cap. xxvii.

Anno c i o c x l v i i claruit S. Hildegardis Moguntina; cujus visiones eopse anno, commendantे Bernardo, abbate Clarævallis, comprobavit Eugenius Papa i i i. Vitam ejus, à Thedoro Abbatе scriptam, habes apud Surum a. d. xvi i Sept. Quæ monumenta historica reliquerit, exposui in opere de historicis Latinis. Verum multa alia præterea exaravit: quæ dicit Gefnerus, ac plenus Possevius.

Æqualis ei S. Elizabetha Schonaugientis, toror Ecbeiti regis: cujus visiones cum illis Hildegardis, & Mechthildis, editæ ab H. Stephano seniore\*. Preterea sermones, epistolas, atque alia, scripti: quibus non est animus immorari.

Anno Christi c i o c c c l x x x excepsit S. Catharina Senensis. Hujus exstant epistole, & varii tractatus, dialogi forma conscripti. Vitam ejus posteris tradidit Raimundus, Dominicani ordinis, cui ea confiteri foleret peccata.

Anno c i o c c c l x x x iv, sub Carolo VIII, Galliæ Rege, claruit Gabriela Borbonia, Trunolæ Principis conjux. Quam varia scripsit, Joannes Bochetius in Annalibus Aquitanæ dicet, atque ex eo Possevianus in Apparatu Sacro.

Anno Christi c i o c c c l x x x vii plurimum laudis consecuta est Cassandra Fidelis, virgo Veneta: quæ in Gymnasio Patavino pro Beatruco Lamberto, Canonicō Concordiensi, sanguine tibi conjuncto, cum supremam in Philosophia lauream consequeretur, luculentam habuit orationem, typis postmodo excusam Mutinæ†. Vide de ea + an. 1487. Baptūlum Fulgosum Memorabilem lib. viii. cap. iii: item Angelini Politianum epistola † ad eam, quæ ut eruditissimam, ac decus Ita- + iæ, celebrat.

Etiam eruditione, & erga literatos amore, laudis multum meruit Margarita Valetia, Navarrorum regina: cujus filia Joanna ex Antonio Borbonio, Vindocinorum Principe, orbi dedit Henricum IV Galba-

rum regem. Vide de reginæ ejus iudicibus Scævolam Sammarthanum in Elogis Gallorum lib. II.

De Ioanna Blanchetta, & Novella, sic Leander Albertus Bononiensis  
† pag. 515. in descriptione Romanalæ t: Mulieres etiam literis eruditas, ornatisque,  
 edit. Coloniæ ann. 1567. Bononia tulit: inter quas Ioanna, Matthæi Blanchetti filia, Bonsignori Bon-  
signorii uxor: qua & eleganter Latine loquebatur, & Germanicæ, Bohemi-  
cæque linguae habebat usum. Novella, Ioannis Andreae filia, Ioannisque Lig-  
nani conjux, patre occupato, manus ejus ex suggestu docendi sustinebat.

De Catharina Landa cognoscimus ex libro secundo epistolarum  
\* pag. 615. Bembi\*. 616.

Anno Christi c 15 15 XXXIIII Catharina, Angliae Regina, mater  
 terra Caroli V Imperatoris, dimissa est ab marito Henrico VIII. Ac  
 triennio post obiit. Hæc reliquit Meditationes in Psalmos: item  
 librum de lamentatione peccatoris: ut est apud I singrinium.

Quid dicam de sorore ejus Ioanna, nupta Philippo, archiduci Au-  
 striæ, Duci Burgundie, perque uxorem Hispanie Regi? Que ex tem-  
 pore etiam Latino sermone respondebat orationibus, de more apud  
+ lib. de in-  
 flatione  
 symma c. 3. novos Principes oppidatim habitis: uti narrat Ludovicus Vives t.  
 Qui & addit de eruditione civis suæ Valentiniæ, Menciae Mendozæ,  
 Marchionis Zeneti filiæ. Item civis alterius Angelæ Zabatæ, incredibili  
 ad omnis generis literas ingenii celeritate, ac dexteritate; pudicitia, ac pru-  
 dentia singulari. Subdit deinde de Thoma Mori filiabus, Margarita,  
 Elizabetha, Cæcilia; atque earum consanguinea, Margarita Gigia. De Moto  
 ipso inquit, Pater non contentus esse caffissimas, etiam doctissimæ ut essent  
 curavit; sic fore judicans, ut verius, firmis que essent caffæ.

Quanta etiam eruditio Fulviae Olympiae Moratae, Peregrini Morati  
+ pag. 420. filiæ, Guntheri conjugis! de qua Lilius Gyraldus in Poëtarum historia t:  
 ac monumenta ejus hodieque supersunt, quæ abunde eam commendant.

Æqualis illi Hippolyta Taurella: ut elucet ex illis, quæ scriptis Mo-  
 ratæ adjuncta.

Quanta item doctrina Elizabethæ, Angliae, Franciæ, & Hiberniæ  
 reginæ! de qua non repeto, quæ ad illustrissimum Carolum, Walliæ  
 principem, Serenissimi Caroli, magnæ Britanniæ monarchæ filium,  
 præfati sumus in nostros de arte Grammatica commentarios.

De doctrina eximia Janæ Graiae, Henrici, Suffolcia Ducis, filiæ, le-  
\* pag. 208. gere est apud Thomam Chalonensem Angliam \*.

Neque hoc tempore deest fœderata Belgicæ illustre, & admirandum  
 Annæ Schurmannæ ingenium, nobilis Virginis; sed variæ linguarum,  
 artium, doctrinarumque notitia longè nobilioris.

Pauca, hasc e si ad litteris poëtriis, & historicis, de quibus in ambo-  
rum historia diximus, iuficere nunc posse arbitror instituto nostro. Plu-  
res fuggerent, qui de illistribus feminis ser pſere: quales ē veteribus  
Plutarchus: ē junioribus Iacobus Philippus Bergomas, & ioannes Sab-  
batinus. Sed imprimis adeatur syllabus doctarum seminarum, quem in  
libris de Nobilitate exhibit T. aquellus, multijugē eruditioſis jurif-  
consultus: utcunque in indiculo ito quem dixi, crebro viri doctissimi  
judicium requiram. Etiam juvabit ἡ μανεζήτις ioannes Bevervicius, in  
opere de excellentia ſexus feminini; ut mittam Bibliothecarū scriptores.

4. §. Sic verò ſequiori ſexui liberales artes, ac doctrinarum ſtudia,  
commendo, ut & parentes, & magiſtri, velim ad duo præ-  
cipue attendere. Num eft, quādquidem ſcientia, Apoſtolo  
\* etiam teſte, inſlat: ne τιγρῖes, diſciplinas imbutae, alias pre \* 1 Cor. 8. 1.  
ſe affernentur, & omnino moribus ſiant inſuſtibus, atque acer-  
bis. Alterum, ne nimis ſint curioſe; eaque etiam ſcire laborent,  
que ſatiuſ ſit neſcire: quando fœda iſta, ut Plinius † ait, Qui <sup>in ep. ad.</sup>  
narrat, docet.

Observat hoc Plutarchus in Pompejo; ubi fermo illi eft de Cornelia. Ea fuit filia Cornelii Scipionis Naticæ; qui, a Caecilio Metello Pio adoptatus, Metellus Scipio dietus fuit. Prius vero nupſit P. Licinio Cratlo juniori. Eo cum patre interemto à Parthis, nupſit Cn. Pompejo M. De hac ſic Plutarchus in Pompejo: Εἰν δὲ τῇ καὶ πρὸ<sup>τ</sup>αι  
φίλτερᾳ δίχα τῷ αὐτῷ ὥρῃ. καὶ γὰρ τοῖς γέμισταὶ καλαῖς ἔσοντα, καὶ τοῖς  
ἀνέρεσ, καὶ γνωριταῖς, καὶ λόγων φιλοſophῶν ἐδιέτηροις ἀκίνητοι. καὶ  
περὶ τούτοις ἡ ἀρδεῖα, καὶ πειραζαὶ καθοῖται, ἢ δημιουροὶ τεῖχες την  
γυναιξὶ τοιαῦτα μαζίζαται. Et, præter etatis florem, alia quoque fuere,  
quibus alliceret in amorem ſus poſſer. Nam pulchre ſe exercuerat in literis, &  
lyram pulsando, & geometricis. Philofophorum etiam ſermonibus cum ſuolu-  
adſueverat. Et acceſſerant ius mores, alieni ab omni auſteritate, & curioſitate:  
qmibus diſciplina illa imbuunt juvenculas. Videmus, ut dicat juvenculas  
literarum ſtudiis reddi, tum aedēs, hoc eft, ingratis moribus, ac ſuperbiis,  
& odioſiis; tum πειραζεῖς, id eft, nimis curioſas. Nec tamen id perpe-  
tuum eſſe, oſtendit, quod neutrū in Cornelia habuerit locum. Et  
ſimilium exempla ſunt compluria: ut Eustochii, a ſanctimonia etiam  
laudatissime; de qua ante diximus. Interim quia ſic fieri ſolet, niſi  
parentes, ac doctores, moniti ſuis ſedulō ſexui huic caverint; eō non  
dubitavit Iuvenalis ſic ſcribere Sat. vi:

Non

*Non habeat matrona, tibi que juncta recumbit,  
Dicendi genus, aut curvum sermone rotato  
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes:  
Sed quædam ex libris & non intelligat. Odi  
Hanc ego, queri petit, volvitque Palamonis artem,  
Servata semper lege, & ratione loquendi;  
Ignotisque mihi tenet antiquaria versus:  
Nec curanda viris opice castigat amico.  
Verba. Solœcismum liceat facisse marito.*

Iis, quæ aduersus ista adferri solent, abunde occurrit sapiens ille Hispanus, Ludovicus Vives, lib. de institutione feminæ ; præsentum cap. IIII, quod est de doctrina pueriarum.

5. §. *Etsi verò uterque sexus ad studia admittitur; non omnes tamen alba signari linea debent. Imo nec mares promiscue admittendi; sed qui naturâ ad ea idonei sunt.*

Quamquam enim multum valet doctrina; potiores tamen partes sunt naturæ. Vnde Tuilius pro Archia : *Sapius ad ludem, atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.*

6. §. *Naturæ autem nomine intelligimus, tum ingenium, quo facile proposita percipimus; tum judicium, quo percepta discernimus, vel approbando, vel improbando. Quod ad memoriam, ea sub ingenio comprehenditur.*

Hac olim magis opus erat, quia tum non è scripto, sed incensoriter docebatur. Quam rationem Plato præsert in Philebo. Vel si scripto completerentur disciplinam; id è fiebat brevitate, & obscuritate, ut non intelligerentur ab aliis, quam qui antea audissent, ac potius nuntius, quam præcepta, viderentur; quemadmodum ait Galenus.

7. §. *De natura conjecturam olim faciebat Pythagoras ex corporis constitutione; ne, si inepti forent, operam luderet.*

Hinc Agellius lib. I. c. IX : *Im à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυπορεύεται. Id verbum significat, mores, naturasque hominum, conjectatione quadam de oris, & vultu ingenio, dèque totius corporis filo, atque habitu, sciscitari. Eum, qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat. Vbi pro idoneusque, deleta copula,*

copulâ, *idoneus* malim: sententia est, quem explorando repererat idoneum. Hac de causâ idem Pythagoras admittere ad disciplinam noluit Cylonem, nobilem Crotoniatem; in quo, ex corporis lineamentis, vitiosum, ac crudelem animum, perspexerat: ut ait Malchus, sive Porphyrius, in Pythagoræ vita.

9. §. *Bonitas naturæ non in eo solum consistit, ut idonei simus ad facile aliquid apprehendendum, atque illud retinendum: vel etiam ut acri, pro etate, iudicio polleamus: sed simul, ut amore flagremus studiorum, ac glori.e.*

Hujusmodi Εὐφίας animadvertisit Herodotus in Thucydide adolescentem: unde patri ejus Oloro, sive Ooro, dicebat, filium ἔχειν \* ψυχὴν \* Animam ἐξ ὧν τις τὰ μάθηματα, ut auctor est Suidas. Notum illud Solonis, Αἴτιον ad μεγάκων πόλεων διδασκαλίας. Et Cato †, Senatus princeps, jam senex, <sup>† Semper</sup> <sup>habet incisus</sup> <sup>disciplina.</sup> <sup>‡ Plautus</sup> <sup>in Seneca multa</sup> <sup>ad discipulos.</sup> <sup>‡ Catoni</sup> <sup>etiam in vita</sup> <sup>Catoni manu-</sup> <sup>scripta.</sup> Graecas discebat literas. Bartholus quoque juriscons. etate senili literis Hebraicis immortuus est. Hermolaus Barbarus, cum dictionum in ultraque lingua curiosissimus esset, eas à quovis dicere non est deditigatus; usque ad eō, ut etiam à viciniis, ac familiari quovis obvio, percunctorum consuetudine, magnam partem suffocantur. Plurimum igitur valeat, si subinde suscitentur: presertim ab eo, cuius multum valeat auctoritas.

10. §. *Multi verò naturā quidem acciduntur ad amorem doctrinarum, ac glorie: sed quia adolescentia est naturā proclivis a labore ad ottum, saepē illi naturae igniculi segnium, atque impetratorum consuetudine, magnam partem suffocantur. Plurimum igitur valeat, si subinde suscitentur: presertim ab eo, cuius multum valeat auctoritas.*

Hoc quam necessarium sit, facile liquebit cogitanti, constare animum nostrum intellectu, & voluntate: eoque non satis esse, ut sciamus; quod est intellectus: sed exigi præterea, ut quæ scimus, cupiamus; quod est voluntatis.

11. §. *Quare ne in doctore quidem sufficit rō didaskalōv: sed insuper exigitur rō αὐτοτελεῖv, ή rō φελεῖv.*

Hoc est, ut non contentus sit, ea tradere, quæ ad scientiam aliquam pertineant; sed sciat etiam, voluntati subdere facies, quod iis accentus

discipulus ardeat amore scientiae; nec magno, ac diuturno labore, terreatur. Non semper verò est, ut doctor utrumque vel valeat, vel præstet, vel etiam velit. Sua quemque docendi ratio delectat: & est qui hoc, est qui altero genere excellat. Exemplum capiamus ex iis, quæ de virtute præceperunt. Propè nihil μεταδικωτέροι iis, quæ de singulis virtutibus Aristoteles consignavit. Sed animum non æquè afficit; nec efficit, ut velim, quod sciām. Plus parte hac valent, quæ Seneca, Plutarchus, & similes reliquerunt. Magis hi calcaria, ac stimulos subdunt voluntati.

**12. §. Non igitur dubium, quin plurimum in animis valent humanis monita, & adhortationes.**

Quas idcirco commendat Plato in Euthydemō. Multis uti Pythagoras solet. Ac complures leguntur apud Iamblichum de secta Pythagorēorum. Aristoteles quoque varias scripsit: ut ex Laërtio, Alexandro, & Stobæo constat. Ac Theophrastum quoque edidisse orationem ejus argumenti, idem Laërtius auctor est. Galenus adhac orationem reliquit, quæ ad Medicinae studium adhortatur; dummodo oratio sit genuina. Galeno quidem eam Hieronymus quoque tribuit adversus Iovinianum.

**13. §. Estque istiusmodi monitorum, ac hortatuum, eo major necessitas, quod tanta sit studiorum difficultas. Sæpe enim veritas, quam sapiens magis amat, quam se ipsum, demersa in Democriti puto latet. Adde jam, quod solida doctrina non se unam intra scientiam, vel alteram etiam, continet: sed artes comprehendit universas. Melius quippe coniunctim, quam separatis, intelliguntur: idque propter commune, atque hoc articulatum vinculum, quo colligantur.**

Quò pertinet hoc Aristotelis lib. I. Anal. Post. Συντηγιώνται πάσαις αἱ  
† pro Ar. Θητικαὶ ἀληθεῖαι. Cicero †: *Omnis artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam communis vinculum, & quasi cognatione quoadam inter se continentur.* Indeque Græculis Μῆτραι creduntur dictæ, quasi ὁμότειχοι: ut est apud Synesium in Dione, & Cassiodorum lib. IIII. Var. Imò quasi una est scientia: secundum illud Heracliti, εἰς \* πάντων ἐν, καὶ εἰς  
\* Ex omnibus unum ἐν τοῖς πάντας. Eoque curandum, ne sic unam universalis scientie partem colam̄s, ut cæteras negligamus. Quod si parte quapiam claudicet eruditio nostra, satius est admirari, quæ nescimus, quam damnare, quia nescimus.

nescimus. Sed infictia , & fastus , hoc non sicut sunt : ideoque sic ferè usū venit , ut omnes propè inventa , & doctrinam aliorum , aspernentur. Præter fastum concurrit inertia. Ad vastam eruditionem opus multā lectione , & meditatione. At otii sunt amantes. Ergo pauca legunt , pauciora meditantur : & omnino malunt videri docti , quām esse. Vnde est , quōd siquid audiant indictum , non dubitent ridere , vel damnare , ne videantur aliquid nescire. Tanto autem magis eà parte peccant doctores , quanto eorum major est auctoritas. Quām male igitur in Academiis , & illustribus Gymnasiis , merentur de juventute , qui suum sic studium commendant , ut depriment alienum : ac , quas scien-tias , vel ignorātia , vel temporum infelicitate , non didicēre in adolescen-tia , eas propterea calumnientur ; quia suā putant referre , ne plus sapiant alii , quām ipsi. Mea verò sic fert ratio , atque animus , in Scholis bene constitutis eum animum doctoribus adesse omnibus oportere , ut quamquam definita singulis officia sint , tamen subinde respiciant ad universam studiorum compagem ; ac , licet unam ipsi doceant discipli-nam , reliquas tamen deserī nolint , verum pariter commendent.

**14. §.** *Sed omnibus accuratè cognoscendis non sufficit vita huma-na; eoque studiorum tempora diuisis in partes diffiscimus. Prius sibi vindicat generalis rerum omnium doctrina. Alterum ex-posuit exquisita unius , vel alterius scientie doctrina. Iti gene-rale illam notitiam consequamur , duobus opus est . Quorum prius est *Logica* , sive ordo commodus , quo discipline sin-gule , & singularum partes , suo & loco , & tempore , discur-sunt. Ordo enim omnia necit , ut ex multis fiat unum : facilius vero unum , quām multa , tum percipimus , tum animo retinemus.*

Nimirum in studiis comparatum est , sicut in annulis ; quorum si plati-rios circumgestes , facile aliquos desperdas : si eorum sit , ut Tertul-liani \* voce utar , concatenatio ; unum custodiens , ferrariis omnes. Itidem \* Apog. in disciplinis , ubi omnia probè composita , nexaque , uno cognito , vel retento , facilè alterum cognoscetur ; vel si effluxerit , ex eo , quod inhæ-ret , in memoriam revocabitur.

**15. §.** *Præter vero ordinem , modum etiam in disciplinis tam variis tenere est opus.*

Nam, ut est initio aphorismorum Hippocratis, *vita brevis, ars longa.*  
Nota etiam Theophrasti \* de vita brevitate querimonia.

\* Apud Ci.  
cer. lib. 3.  
Tuscul. Qua-  
stion. & Lat.  
ertium in  
eius vita.

16. §. *Modus verò is esto, ut communiora, & vulgatiora omnes in omnibus sciant disciplinis: quibus verò felicius ingenium, & otii abunde, & doctorum affatim, hi etiam ulterius tendant, totasque disciplinas saltem καὶ θηλομήν cognoscant, superfluis solam, vel minus utilibus, recisis. Aliter enim scien-  
tiae, vel arti, operam dabunt, quibus illud studium est gradus; aliter quibus est apex. Postea & illis, quos prius dicebamus, & hisce beatioribus, certae est discipline insistendum: cuius aīoειση, & exquisitam cognitionem sibi proponere oportet.*

Nam si in generali ubique notitia subsistamus, audire cogemur vul-  
† lib. 7. gatum illud, *De omnibus aliiquid, de toto nihil.* Et hoc Martialis †,  
epigr. 72. *Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.*

## C A P V T I I I.

D E P O L Y M A T H I A E  
divisione in Philologiam, Mathesin, & Logicam.

1. §. **H**actenus generalia sumus prosecuti. Imò, que proximè de studiorum ordine dicebamus, non ad Philosophiam minus, quam Polymathiam, sive discipline orbem, pertinent. Deinceps, ut pareat, que artes utroque vocabulo continantur, divisionem ejus orbis instituere animus est. Sunt vero Πολυμάθειας partes tres: una est Philologia, que aliter Grammatice vocatur: altera est Mathesis: tertia autem Logice dicitur.

<sup>‡ Athenaeus</sup> Πολυμάθεια, que & Πολυμαθίσιν † nuncupatur, propriè signat, tum Grammaticen, sibique elegantiam: tum Historiarum, ac fabularum notitiam. Quod indicat Philo τοῖς τοῖς περιπατόλυχτοις. Vbi clarè ait, Grammaticen enarrando historias, que apud Poëtas, & alios, leguntur, νόνοι, καὶ πολυμάθειαν ἐγάγεις. notitiam, variisque eruditio-  
ne adferre. Eodem opere conjungit πολυμάθειαν, scilicet κύκλον, ut

ut pro eodem habuisse videatur. Sed γερμανικὴ quidem ἐκκλησια-  
στια, vel ἐκκλησὶ παιδία vocatur; verum δὲ κατέχεται, & λόγῳ  
κνεῖω, ut Tzetzes ait in Histor. Chil. Latinè ut eam dicere possimus,  
indicat Fabius lib. I. cap. xvi: *Nunc, inquit, de ceteris artibus, quibus*  
*instituendos, priusquam tradantur Rhetori, pueros existimo, strictim subjun-*  
*gam, ut efficiatur orbis ille disciplinæ, quem Græci ἐκκλησὶ παιδίας vocant.*  
Photius in biblioth. ait, Helladii lexicon utile esse ad πληράθεα, quia  
contineat μαρτυρίας τε ἱερών τε, καὶ τὰ εἰς παιδικὸν μέρα καλέοντα.  
testimonia oratorum, & eorum, qui εἰς poētā magnam gloriam retulere. Vnde  
liquet, curam stili, tum liberi, tum ligati, ad πληράθεα pertinere.  
Sed præterea continet Dialecticen, & Mathesin. Nam & eas, &c.,  
quas diximus, disciplinas, εἰς ταῦτα δύο numerat Philo Iudæus.  
Vti & Quintilianus lib. I, Clemens in επαρχίαν libris, Origenes in  
Philocalia, Synesius in Dione, & Theologorum alii. Similiter Sextus  
Empiricus libris, quos scripsit aduersus studia, quæ ante Philosophiam  
disci solent. Imo & eadem Porphyrio mens opere eo, quod historiam  
Philosophicam inscripsérat: ut discere est ex Ioannis Tzetziis Histor.  
Chil. XI. sect. ccc lxxvii. Sic enim Grammaticus is scribit:

Διδότε τοὺς ἐκκλησίας μαθήτας κατεβάντου.

Οἱ κύκλοι τῷ συμπλεγεμένῳ παιδὶ τῷ μαθύματι,

Γερμανικῆς, ἑρτερικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας,

Καὶ τῷ τεχνῶν ὥρχῳ τῷ τέτταρες τὸν παιδίων,

Τῆς ἀριθμητικῆς, μετακήν, καὶ τῷ γραμματείᾳ,

Καὶ τῷ εργαστηρῷ τῷ αὐτῆς ἀστρονομίᾳ.

Ἐκκλησία μαθήτας διδότες, ταῦτα πάντα.

Ως ἔχειτε Πορφύριον εἰς διοῖς φιλοσοφίαν,

Καὶ ἐποιημένα τῷ ἐλαφρύντι αἴρετε.

Secundò autem circulares disciplinae vocantur.

Circulus enim conclusio est omnium disciplinarum;

Grammatices, Rhetorices, ipsis Philosophiæ,

Et quatuor artium sub ipsa positarum,

Aritmetices, Musices, Geometriæ,

Et cœlum ascendentes ipsius Astronomiæ,

Circulares disciplinae secundò h.c omnes sunt:

Vt scripsit Porphyrius in vitis philosophorum,

Et alii innumeri doctissimorum virorum.

In uno abit Porphyrius, quod ἐκκλησία nomine complectitur ipsam  
Philosophiam: nempe ut apicem eorum. Sed hanc excludit Seneca  
epist. LXXXIX: ubi & ipse eas disciplinas ex Posidonio ἐκκλησίς vocat.

Quemadmodum & Laertius nominat ἐκπύλαιον παιδείαν, Plutarchus ἐκπύλαια παιδεύματα. Porphyrium eas tenuisse disciplinas, testatur Eunapius in Vitis Philosophorum. Persecutus eisdem Varro libro de novem disciplinis: quem Vitruvius, Nonius, & alii laudant. Item Martianus Capella de nuptiis Philologiae; cuius liber III, IV, V, de Grammatica, Dialectica, Rhetorica: quatuor sequentes, de quatuor agunt disciplinis mathematicis. Nec alter Cassiodorus de orbe disciplinarum liberalium, & Isidorus prioribus Originum libris. Ut satis liqueat, Latinorum de orbe disciplinarum eandem, ac Graecorum, fuisse sententiam.

Cuncta vero haec Grammatices nomine saepius comprehenduntur; quemadmodum diximus. Nihil igitur mirum, si magnifice adeo de hujus studii dignitate, & difficultate, statuat Erasmus in Origenis vita: *Siquis dicat, Grammatices professionem nihil habere memorabile: sciat, olim senile, & arduum fuisse negotium. Nec enim à doctore tantum expectabatur declinationum, conjugationum, & constructionum ratio; sed præter sermonis elegantiam, præter plurimorum auctorum lectionem, præter antiquitatis, & omnium historiarum notitiam, requirebatur Poëticas, Rhetoricas, Dialecticas, Arithmeticas, & Cosmographicas, Musicesque cognitione. Minore negotio tres juris doctores absolveris, quam unum Grammaticum, qualis fuit Aristarchus apud Graecos, apud Latinos Servius, ac Donatus.* Hæc de Πελευχείᾳ universè.

## C A P V T I V.

PHILOLOGIAM OCCUPARI CIRCA SERMONIS CURAM, &  
HISTORIAM: PRIOREM DIVIDI IN GRAMMATICEN, RHE-  
TORICAM ARTEM, & METRICAM: Grammaticen in  
METHODICEN, & EXEGETICEN, QUARUM METHODICE  
TRADAT ARTIS PRÆCEPTA.

I. §. **P**hilologia dispescitur in duas partes: prior continet artes sermonis formatrixes. Altera est historia omnigena.

Veteribus aliter *Grammatica* dicitur: unde est, quod videas, à veterum plerisque historiarum, fabularumque peritiam, statui partem Grammatices: ubi nec Grammaticis intelligenda, quæ contenta est docere artem legendi, & literas formandi: nec sola Grammaticæ Technice, quæ præcepta artis methodicè tradit: nec sola Grammaticæ propriè dicta,

dicta, quæ præter artis præcepta vocum significations docet : sed ea, quam Philologiam aliter dicimus : quæ, præter curam sermonis, veras, fictasque historias comprehendit. Seneca epist. LXXXVII: *Grammaticus circuicuram sermonis versatur : & si latius versari vult, circa historias.*

### 2. §. In sermone attenditur puritas, ornatus, & metrum.

Veniam mihi dari postulo, si utar *puritatis* vocabulo, nis ignoto, qui purè, terseque olim loquebantur. Existimo enim, non Grammaticis minus concessum esse, vocabula quædam comminisci in Arte suâ necessaria, quam aliis illud artium, vel scientiarum scriptoribus, permittitur. Quomodo Cicero non dubitavit in Civili Philosophia fingere *beatitudinem*, & *beatitas* : ut melius exprimeret, quod Græci *εὐδαιμονία* appellant. Sanè non video, quomodo aliter, quam *puritatis* voce, exprimere possimus, quod Hermogenes *καθαρότης* appellat. Sed uti in epistolis, vel orationibus, Cicero non usurpat *beatitatis* vocem : itidem nec *puritatis* vocabulo facile utar extra pomeria eorum artium, quæ circa sermonem versantur. Quia vero, ut diximus, in sermone non solum consideratur puritas ; sed ornatus etiam, ac metrum : eo veteres, cum persuasum haberent, Grammatici esse omnia tradere, quæ ad sermonem pertinent, tria istac curæ ejus subjecerunt. Fuit etiam hujus sententia Seneca. Nam, ut proxime vidimus, principem Grammatices curam esse dicit sermonis ; neque determinat ad puritatem sermonis, ut ornatum ejus videatur complexus. Mox etiam agnoscit, secundum quodam metricam artem credi partem Grammatices. Sed nobis omnis ille sermo est Grammaticus, qui nititur veterum loquendi consuetudine ; eoque nihil habet *βάρεσσαν*, nihil *στέρεον*. Ad quas vero disciplinas ornatus, & metrum pertineant, inferius explicabitur. Fatae quidem, partes posse Grammatices dici : sed quatenus per eam intelligitur Philologia, sive, ut Tranquillus vocat, *variocradus* : non item, si sermo sit de Grammatice propriè dicta, quæ ab arte Rhetorica, & Metrica, propriis cancellis separatur.

### 3. §. Ut purus sermo sit, praestat Grammatice ; primario quidem in sermone ; secundario vero in scriptione.

Vnde nutrici rectè comparatur. Nam præ foribus templi, in quo Sapientia, & Prudentia habitant, docet nos sermocinari, ut in illis Divarum adytes, & intelligamus, & intelligamur. Imò non solum praestat, ut melius percipiamus, loquamur, scribamus : sed etiam facilis, certiisque,

tiisque, & doceamus, & discamus: ut de commodis cæteris raceam. Quocirca qui hanc negligunt, similes iis sunt, qui vestibulum nondum ingressi sunt, & jam somniant de penetrali: vel etiam qui necdum fundatum posuerint, & jam cogitant de teœto: vel qui aliquem putant virum posse fieri, qui non priùs fuerit puer. At Fabium audiamus, qui lib. I ait, Grammaticen plus habere operis, quām ostentationis; & nisi ea fundamenta aliarum artium feliciter jeceris, corruiturum, quicquid superstruxeris. Nimirum ut ædificare volentibus prior est fundamenti cura, proxima autem structuræ: ita etiam sè res habet in doctrinarum studiis. Fundamentum autem ponit literatura, sive varia eruditio: quam Philologiam dicimus, vel etiam Grammaticen. Quod nomen nunc contemptui est; sed insipientibus: qui nesciunt plus habere momenti in recessu, quām promittat in fronte. Alioqui non de hac arte scripsissent Ter. Varro, & Iulius Cæsar: ille disciplinarum omnium cognitione nulli secundus; hic rerum gestarum magnitudine facile princeps.

4. §. Grammatices igitur nomine intelligitur hoc loco, non vulgaris illa, que est legendi, scribendique ars, & plerisque Grammatistice dicitur: sed doctior illa, que est bene loquendi ars, maximorūmque est virorum studio elaborata, ac perfecta.

Grammatistiken, & Grammaticen, aperte satis distinguit Lactantius lib. IIII. cap. xxv. De Grammatistice primùm, ut anteā diximus, sic scribit: *Discendæ istæ communes literæ propter usum legendi: quia in tanta rerum varietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria contineri.* Continuò de Grammatica hæc subdit: *Grammaticis quoque non parum opera dandum est, ut rectam loquendi rationem scias.* Id multos annos auferat, neceſſe est. Hæc artes cùm valde differant, tamen communī Grammatices nomine censebantur. Vnde sic Sextus Empiricus: *Γραμματικὴ δέσπου τῇ ὁμονυμίᾳ, κοινῶς τε γῇ ἴδιος· καὶ κοινῶς μὲν ὁ ποιῶντι τῷ ἐν χειρὶ πάτων εἴδηται, εἰν τε Εὐλογίκων, εἰν τε Βαρεβασικῶν, ἢν στιχίον χειρικότερον καλεῖθεν. Ιδιάτερον τε ἡ εὐπελής, καὶ τοῖς τοῦ Καρδιτρῆς τε Μαλλώπιοι, Αἰρεσφάνοι τε, καὶ Αἴριστοις, ἐπονηθεῖσα.* Grammatice dicitur equivoce, communiter, & proprie: ac communiter quidem cognitio quarumcunque literarum, sive Graciarum, sive barbararum: quam Grammatistiken solemus appellare. Propriè autem, que est perfecta, atque absoluta labor, ac studio Cratetis Malloræ, Aristophanis, & Aristarchi. Nempe initio Grammatice non aliud, quām legere, & scribere, docebat: posteā paullatim variis aucta est accessionibus, ac vetus tamen nomen referavit.

Haut aliter ac Geometria retinuit nomen, etiam cum non in unius terrae mensurazione se occuparet; sed ad alia multa extenderetur. Quanquam cum *zeāpuaꝝ* non solum dicantur vocum elementa; sed & eruditio ipsa; quomodo Latini quoque *literas* diversimode usurpant: dicere liceat, ut ait Asclepiades, priorem Grammaticen sic dici a priori significatione, a posteriori posteriorem; quomodo Grammaticus idem sit, ac multis literis tinctus. Verum hoc sensu non sola puri sermonis doctrina, quam nunc *Grammaticen* dicimus: sed etiam peritia ornata dicendi, ac motrice, imo & historiarum, ac fabularum enarratio, Grammatice fuerit. Nempe idem fuerit *Grammatico*, & *Philologia*. Neque negare possumus, sive veteribus cunctis dicitur Grammaticum, ac Philologum. Sed nunc sumimus pro ea Philologie parte, que patet loqui docet.

s. §. *Doctrina puri sermonis est bipartita. Una est de sermonis rebus corporis, que Methodice dicitur, & el Teorice, quasi artificiales dicitur. Hec autem praecipta trahunt, & fabricat notiones secundas; quod commune habet cum Legata, Rhetorica, Poetica, & Historica. Sed eodem differt, quod Grammatices notionibus secundis solum dirigimur in parte locutione. Cujusmodi sunt vocalis, semivocalis, liquida, diphtongus, nomen, & verbum, substantivum, adjективum, genus, species, determinatio, modus, persona, conjugatio, zeugma, enallage, antimeria, & similia.*

Vt haec de secundis notionibus melius intellegantur, paullo altius rem arcemam. Quaecunque in disciplinarum orbe, ac universo sapientiae studio, tractantur, ea partim a mente sunt humana, eique tempore insunt: partim a mente non sunt; coquie ita sunt in anima, ut etiam sunt extra animam. Posteriora haec vocant vulgo *entia realia*, nec non *intentiones, sive notiones primariae*. At priora illa nominant *entia rationis*: ab Avicennæ interprete appellantur *secundaria intellecta*; ab aliis dicuntur *intentiones, sive notiones secundariae*, quasi dicas *notiones not. commun.*, & conceptum conceptus: suntque nihil aliud, quam voces artificiales ab intellectu humano fabricatae, ut sint instrumenta inferientia cognitioni plurimum notionum. Ac Philosophia qualem, tum *Æstheticæ*, que Metaphysica, ac Physica, &c., multorum iudicio, Mathematica comprehendit; tum *Æconomia*, ad quam Ethica, Politica, & Oeconomica pertinent: fore ea tantum confiderat, quae in rerum natura extra intellectum subtiliter discimus. Ferè, inquam; nam Astrologia quoque, quam ait Mathematicæ,

maticæ, alii Physicæ faciunt partem (utri rectius sentiant, alibi ostendimus) considerat notiones secundas : ut sunt polus, zodiacus, epicyclus, &c. At circa illa, quæ mens humana efficit, ex professo versantur quinque disciplinæ ; Grammatica, Logica, Oratoria, Poëtica, & Historica. Non quidem me fugit, summum virum Iulium Scaligerum cap. xxx Ideæ sive poëticæ, tres solùm facere disciplinas organicas. Verum is tres postremas statuit sub una comprehendendi, cui proprium needum iudicatum sit nomen. Ex hisce vero artibus aliæ latius diffunduntur. Quippe earum quædam sunt totius Philosophiae instrumenta ; ut Grammatica, quæ sermonem, & Logica, quæ rationem dirigit : aliæ vero solius sunt Politice organa ; ut Oratoria, Poëtica, & Historica ; quæ tres non solùm spectant orationem, ut Grammatica; nec solam rationem, ut Logica ; sed & orationem, & rationem.

6. §. *Primus Grammaticen hanc, que Methodice dicitur, in artem redegit Aristoteles.*

Auctor Dio Chrysostomus orat. LIII; quæ est de Homero. Primus vero docuisse eam traditur Epicurus; ut in vita ejus ex Hermippo prodidit Laertius.

7. §. *Eisque vel vulgaris, vel philosophica.* Ad priorem pertinet, cum de alicujus Nominis genere, vel casu patro : aut de Verbi cuiuspiam tempore præterito, vel reliqui inflexione, ac similibus, informandus est ruditus animus. Posterior vero ad observam Logicæ accuratè omnia definit, ac dividit, atque etiam ad minutias descendit : præterea, ut in rebus philosophi solent, omnium causas adferat. Cuiusmodi observationes licet plurimum juvent, & accuant, mediocriter eruditos; incipientibus tamen magis nocent. Panca igitur precepta iis, caque facilis, sufficiunt. Quin nulla potius sunt, quam multa, & subtilia.

Cujusmodi se passim offerunt apud magnum Cæsarem Scaligerum in libris de Caussis L. L. Nec diffiteor, plurima ejus note non ab aliis duntaxat; sed à nobis etiam, adserri septemplici de Arte Grammatica commentario. Talia morentur potius prima studia, quam promoveant. Quid quòd multa aggeri solent, non modò disconvenientia prime etati; sed etiam falsa? Evidem sic existimo, quòd tanta esse inficiā soleat, postquam annis compluribus opera est data studiis, id non modò esse ab

ab imperitia præfectorum ; sed altero etiam malo, quod bona quoque ingenia usque adeò diu detineantur in Grammatices Methodices, penè dixerim, erga stilo : ubi discere coguntur ætati illi tetrica , neque necessaria ; subinde etiam falsa , magnöque labore dediscenda. Sic abit prima, bonaque ætas : quæ non capitur illis canonibus , imò nec capit. Melior est proficiendi modus , si post præcepta pauca, nempe sola necessaria , aut valdè utilia , contingat statim aere , ac luce, frui bonorum scriptorum; cumque lectione eorum exercitium styli conjungatur. Nec èd rejecio , qui operosè de hac arte scriperunt : sed volo , ut ætas jam adultior , judiciorumque firmator , legat eos accuratè , vel minimum percurrat , quæ de præceptis istis , cauillisque sermonis Latini , eruditæ homines observarunt. Quem nisi labore refugerent multi ; majus honoris premium exspectare poterant ab solide eruditis, præcipiè poteris. Nunc dum partum desidia , partum inani quadam fiducia sui , priusquam in ista penetrarint , diffundere gaudent ingenu doctrinæque lute monimenta: illustres quidem animi dotes aperiunt ; sed ob Grammatices, ac penitioris literaturæ incitiam , risum sœpe debent non eruditissimis modo ; sed etiam iis, quos ridere ipsi amant, ac grandi supercilio , tanquam inumane quantum supra eos evelet, vix alio , quam paedagogum nomine, dignantur.

8. §. Altera etiam Grammatices Technica dñsisio est. Num quemadmodum Grammaticæ & legendi , & scribendi scientiam continet : isidem Grammaticæ Methodicæ , sive Technicæ , vel de lectione est , & Ὀρθοτεια dicitur : vel de scriptione , que Ὀρθογραφia nominatur. Ὀρθοτεια tum de singulis est vocibus , tum de coniunctis. Prior tractat de vocum classib[us] , u[erbi] classium singularium affectionibus : inque classibus vocum , variabilium præcipue , analogias , & analogias , attendit.

Analogia defendit Aristarchus , analogia Crates. Vide Varro in tres libros de Analogia : & ad eos libros appendicem H. Stephani. Adhac Casarem Scaligeram de causis L. L. Vulgo, quam analogia & analogias doctinam vocamus , ēnyclogias nancipiunt ; sed perferam : cùm hujus solum sit vocum origines explicare ; ut inten- dicetur.

9. §. Ad privarum vocum ἀναλογias etiam ñcessaria pertinet : cùmque analogia , & analogia , considerent vocis

*ετίαν; hec attendit ejus moderamentum ratione soni. Próque tripli affectione syllabæ; longitudine, latitudine, & profunditate; distinctè agit, ratione primi, de tono sive tenore, qui κατ' ἔξοχον accentus dicitur, et si natura tam latè ea vox parat, quam σωστία; ratione alterius, tractat de spiritu; ratione tertii, de quantitate.*

Hujus igitur partis est docere, num syllaba acuatur, gravetur, an circumflectatur; num spiritum habeat lenem, an densum; num brevis sit, longa, an communis. At nimis ejus limites extendunt, qui eidem subjiciunt modulationem carminis. Nam de pedibus, & variis versuum generibus, tractare, artis est Metrice: quæ licet longè aliud sit ac Poëtice; uti aliud carmen scribere, quam poëtam esse; ad elementa tamen Poëticæ pertinet. Interim φιλολογία essem partem, dubium non est.

**10. §. In conjunctu vocibus consideratur structura congrua; tum ea, que est naturalis, rum que contra naturam.**

Congruam Apollonius ὁ Δίονελος, nunc τὸ κατάδηλον τὸ οὐρανός vocat, nunc κατάδηλον τὸ λόγον, nunc δύσων οὐρανόν τὸ θεατρον. Quemadmodum & idem sermonem vitiosum appellat ακατάδηλον. Orationis naturalis exemplum est, cum ρεινῷ dicitur ζῶα τεῖχος: at contra naturam dicitur ζῶα τεῖχος, quod Atticum est: vel si malum, Bœoticum; ut statuit Apollonius lib. IIII. cap. x. De Οἰδηπειᾳ haec tenus.

**II. §. Οἰδηπειας vocabulo intelligimus hoc loco, non eam, quam Grammatifice tradit; sed de qua diligenter adeo scripere eruditissimi Grammatici, cum Greci, tum Latini.**

Vt è Græcis Didymus, Tryphon, Herodianus, Eudæmon, Arcadius, Hyperchio, & tot alii, quos laudant Stephanus πεπληρωματι, & Suidas. E Latinis Verrinus Flaccus, teste Tranquillo, & Velius Longus; quem Commelinus juris fecit publici cum castigationibus saceri mei, Francisci Iunii Biturigis. Item undecim alii, ex quibus sua collegit Cæsarius. Vnde sic ipse verbis iis, quos præfationi subjunxit:

*Omnia cum veterum sint deflorata libellis;*

*Multa loqui breviter sit novitatis opus.*

In vulgatis est explorata. Sed deflorata malui, quia ipse in præfatione

tione sic dicat : *Ad orthographos excutieudos anno etatis mee nonagesimo tertio, Domino adjuvante, perveni.* Ex quibus si in unum valuero deflorata colligere : confusonem emendaro, atque scriptor, arbitror, ulterius non habebit. Etiam subditum libello : *Explicis Caijodori Senatoris de Orthographia liber ex duodecim autorum epistolis defloratus.* Hoc seculo etiam varii de ea re scripsere. Sed uti priorum industriam vicerat Aldus Nepos: ita eum, & alios, longè post se reliquit Claudius Daufusius, eruditissimus duobus de Orthographia libris. Multa etiam nos de ea in Originum opere. Crebro enim ex etymo recta scribendi ratio dilucet: quod & prestat analogia. Adhæc veteres codd. Mss: item laxorum, numinorum, gemmarum, aliorumque inscriptiones antique. Sextus Empiricus hujus etiam doctrinæ vanitatem *en d' Aggrevias* convincere conatur. Sed quantillum hoc, quod in scribendi ratione sit diffensus: cum ne in rebus quidem longè maximis, & certissimis, convenire homines soleant. Tanta est disentiendi prurigo.

**12. §. Ad ὀρθογραφίαν etiam pertinet ratio tum interpunkendi; tum scribendi διαφορων, sive per signas: item illa per not. ss.**

De interpunctione quedam scripsimus; uti ante nos Aldus. Per signas, hoc est, literas singulas, vel etiam per plurimum literarum compendia, exarare docent Valerius Probus, Mango, Petras Diaconus. Vti per notas, qua litera non sunt, Tullius Tyro, & L. Seneca. Erat & scribendi ratio Hieroglyphica; de qua Horapollo. Et haec de Methodice.

C A P V T . V.

**D E G R A M M A T I C E S E A P A R T E ,**  
quæ Exegetice dicitur: ac primum de illa vocum singularum, ubi & de Etymologia.

**I. §. D**E Methodice satis diTum est: deinceps ad Exegeticen transeamus. Sed primum tollenda est vocis ambiguitas. Sunt qui per eam intelligant explicationem omnium, que in scriptoribus, poëtis imprimis, difficulta occurruunt.

Itaque Quintilianus lib. 1. interpretatur *ancorum narrationem:*

Varro item apud Diomedem , *obscurorum sensuum, questionumque, explicationem.*

2. §. Sed hæc sententia , quod pace veterum dixerim , per est absurdæ. Nam sic Grammaticus fuerit nemo , nisi qui idem sit philosophus.

Quomodo enim alioqui interpretabitur Lucretium , aut Manilium : Parmenidem , aut Melissum ? Quomodo item alios , quæ multa ex penitissima adspergunt philosophia ?

3. §. Aliis Exegetice ea solum exponit , quæ ad verba , vel literam , pertinent. Quo pacto Grammatice idem fuerit , ac Philologia .

Ac sic usus Dionysius Thrax ; cui hæc pars est λέξεων , καὶ ἵστοριῶν εἰδοσις· enarratio verborum , ac historiarum.

4. §. Verum jam antea Philologism in Grammaticen , ac Historiarum enarrationem , divisimus. Superest igitur , ut Exegetice solum tradat vocum significaciones : que sermoni sunt inflar anima.

Vt qui hanc partem aspernetur , eadem omnem contemnat doctrinam. Nec enim rerum peritiam consequimur , nisi per verba , rerum symbola. Hac sententiæ optimè retundi puto , tum Grammaticorum fastum , tum contemptum. Nec enim ferendus est tumor illorum , qui omnia omnium interpretari Grammatici esse ajunt : quasi is , suis limitibus contentus , cuncta nihilominus animo complectatur , de quibus dici , vel scribi possit : neque quicquam sit , cuius ignorantia cum moratur. Ex parte altera pipulo digra eorum est infictia , qui vulgarium vocabulorum notitia leviter tincti , animum ad graviora studia appellunt. Quales quomodo sapientie , aut prudentiae studiis , imbuantur ; cum non capiant , quæ dicantur ? Nimis etiam jejunè de Grammatice sentiunt , qui agnoscunt , necessariam esse accuratam verborum intelligentiam : sed pertinere negant ad Grammaticum. Nam cujus fuerit vocabula exponere , si Grammatici non sit ? Philosophi , inquit : quia is rerum sit intelligentissimus. Verum hinc non aliud evincas , quam dignum esse philosopho negotium , si vocabula rebus imponat : non item , ubi ea imposita sint , non esse Grammatici ea interpretari.

5. §. Est

5. §. *Est verò hæc pars Grammatices magis necessaria, quām prior. Siquidem inventus est sermo, ut sensa animi nostri aliis promamus. At intelligor etiam, licet peccem adversus canonas Grammaticos. Verum si neglecta vocum propriâ significatione aliud pro alio dicam, res intelligi non potest.*

Sic non minùs intelligor, si oportuebat dicam, quām oportebat; reminisco, quām reminiscor; apostrophus geminus, quām gemina; adfertur bonus nuncium, quām bonus nuncius. At non intelligar ab homine Romano, si, ut nunc sit, palmam dixero pro buxo; luscus pro strabone; humilitas pro modestia; indigitare pro nominare. Quanto minùs, si nec semibarbari sic loquantur: ut si crux dicam pro fura; atramentum, pro rubrica; formosus pro honesto, & similia; quemadmodum sūfē ostendo in opere de Vitiis sermonis, & Glossematis.

6. §. *Itaque in omni studiorum genere primum est proprietatem vocum nosse: indeque multis tollere controversias datur.*

Quanti in medicina, atque adeò omni scientia, sit nomina rerum scire, & ut ex infirmitate eorum multiplex proveniat rerum ignorantia; luculentè docet medicus eximius, Ioan. Manardus, lib. 11. epist. 1. Sane & Antistius Labeo ex verborum proprietate difficillimos juris laqueos solvebat. Nec dubium, quin in divinis quoque id habeat locum. Vnde R. David Kimchi: *Qui studet Legis divine scientiam sibi comparare, neque discent fundamentaliter literaturæ; similis est arator, qui agit boves, nullumque in manu habet virgam, aut simulium aculeatum.*

7. §. *Nec sile solum, vel potius necessarium, ad rerum intelligentiam est nosse vocum proprietatem: sed etiam decorum.*

Nemo enim ignorat, quantum multi glorie eo uno retulerint, quod Græcos scriptores, aut vernacula linguæ scriptos, eleganter, & eruditè transtulerint Latinè, aut Latinos etiam scriptores Græcè.

8. §. *Atque hæc dicta volumus, non solum ob linguae Latine studium; sed etiam Græce: que, ubi mediocriter Latinè expimus balbutire, comes esse Græce debet. Nam prima illa etas, partim quia memoriam magis valet, partim quoniam disciplini facilitius continetur, aprior est discendis utriusque linguae clementis. Si dif- ferre*

*ferre hoc studium velimus, donec exactè calleamus Latinè: ferè ita usū venit, ut vel socordia, vel desperatione, negligantur Graeca; certissimo, maximòque studiorum omnium dispendio; cùm ad solidam eruditionem Latine non sufficiant liter.e.*

Nam innumera sunt Græcè scripta, que vel translata non sint, vel perperam versa. Imò etiam in benè redditis, quoties locus occurrit difficilior, recurrendum ad fontem Græcum. Si enim accuratè, & certò rem scire avemus: quomodo in re obscura statuemus de mente scriptoris, nisi prius viderimus, quid auctor sua dicat lingua? Ex quibus etiam liquet, quanta sit Hebræa linguae necessitas ad intelligendum vetus instrumentum. Nec jucundius modò Græca legitur, quam Latina: sed, quod longè majus est, facilius etiam ex iis rerum notitia paratur. Cujus causa est, quod omnia perspicuè magis, ac significantius, tradunt. Adeò ut si sermone alio esseret quid velimus; maliū neceſſariorū lucis decadat. Quod fit ob divitias sermonis Graeci, ad quas nunquam aspirarunt Latini. Itaque Lucretius queritur de Latu fermonis egestate; ut ipse appellat\*. Agellius quoque lib. xi. cap. xv ait:

\* lib. 1.  
nisi. 139.  
831: item  
lib. 3: vers. singulis verbis, ut à Gracis; neque, si maximè pluribus eas res verbis dicamus,  
861. tam dilucide, tamque apie, demonstrari Latinā oratione possunt, quam Graci ea dicunt prīvis vocibus. Et post aliqua, Sed huius, inquam, tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infaciundia; qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissime dicere, quod à Gracis perspicillissime uno verbo, & plurimè, dicitur. Vis & Christiani nominis venerandum testem,

B. Hieronymus? Ait ille: Proprietatem Gracis Latinus sermo non ext. † lib. 9. p. 9. primit. Exemplum hujus rei etiam capere possumus ex M. Tullio †, qui cum illud Aristippi Socratici referret, Habeo Latu, non habeo, & Latu, subiungit: Gracē hoc melius: tu, si voles, interpretabere. Item Tiberius

‡ Sueton. in Tiber. c. 71. Cæsar, πυρετῶν nominaturus † in Senatu, prius veniam postulavit, quod libi verbo peregrino, ob sermonis Latini egestatem, utendum esset. Idem cum in quodam decreto Patrum, ubi de sumptibus conviviorum, ac supellectilis, questio foret, num vasा prohibentur argentea, quae ἔκληροι haberent, censuit, pro voce emblematis reponendam Latinam; vel si ea foret nulla, plumbis, & verborum ambitu, enunciandam; ut ex Tranquillo\*, & Dionet, cognoscere est. Haec de Exegetice universit. Nunc partes ejus confidemus.

\* fidem.  
† lib. 57.

9. §. Ut de Methodice vidimus; sic etiam Exegetice vel privarum est vocum, vel junctarum. Prive sunt vel indigene, vel peregrine: priores vel propriæ, sive nativâ significatione sumuntur, vel tralatitiâ. Item vel sunt usitatae, vel rarae, vel oblitiae sive obsolete.

Varro lib. vi. de L. L. Igitur quoniam haec sunt tripartita verba, que sunt aut nostra, aut aliena, aut obliteria: de nostris dicam, cur sint; de alienis, unde sint; de obliteriis relinquam: quorum partem, cum ita invenerim, ut opinor, scribam. Sive, ut mente optimâ Wouwerius in Polymathia legendum censet cap. ix: cum certum non invenerim; ut opinor, scribam. Alter etiam tripartita sit divisio. Vel enim vox linguae est nostra; vel ex dialecto; vel ex glossa, sive à barbaris accepta. Possum & quadripartitam facere, illa nostræ, sive Latine lingue vocabula dividendo in propria, & figurata. Aristoteles lib. de Poëtica\*, & figurata, & illa ē \* ap. 22.

glossa, vocat ἔμπειρη, sive peregrina. Sic enim scribit: Σένερος δὲ τὸ γλωττικόν, καὶ μεταφορά, καὶ τὸ περιβόλιον τοῦ λόγου. Peregrinum vero, & quod ē lingui alia, & quod per translationem dictum, atque ad eo, quicquid ab usu proprio recedit. Sed non dubium, quin ἔμπειρη: vocabulum non tam conveniat omnibus figuratis, quam vocibus ex alia dialecto, ac præcipue illis ex aliena lingua adscitis. Vnde Clemens Alexandrinus lib. i. Στρατηγία: Απόλλων δὲ δύο τις εἰδώλων φωνές, μηδὲ γλωττικές, αλλὰ γλωτταί λέξεις. Barbarum voces sunt intellectae, non dialectos dici, sed glossas. Saepem tamen glossarum, vel glossatum voce intelliguntur non sole voces barbaræ; sed etiam dialecti, & obsoleta, & in universum, quatuor significatio minus est obvia. Varro in vii de L. L. Camillum, qui glossatum interpretari, dixerunt ministrum. Quintillianus etiam lib. i. cap. xiv, glossas, & glossatum, nunc interpretationem lingue secretioris, nunc voces minus usitatas, exponit. Ac Galenius quoque in glossis Hippocraticis clarè sic dici ait, quæ olim fuisse in aliis, sed esse defierunt.

10. §. Exegetices privarum vocum vel ministra, vel pars est etymologia, sive originatio. Quippe ex vocum origine proprietis vocabuli melius cognoscitur: atque ita ex verbis ad rei naturam facilius, certiusque, devenitur.

Hoc etiam istius vocabuli etymologia ostendit. Nam ab eis quidem est inis, & inis, unde ēnys, verum. Sanè & Helychius in-

# DE PHILOLOGIA.

34

\* in Top.

*καὶ ἐπειδὴ, exponuntur ἀληθῆ, ἀγαθά.* Cicero \* itaque ἐπυμολογίαν vertit veriloquium. Malim *ωθεφεζέων* reddere *veram nominis rationem*. Quamquam Agellius lib. I. cap. xviii dixerit *ratione etymologica falso*. Sed *ἀντίτοις* illi ἐπυμολογία non tam *vera nominis ratio*; quam universè *nominis ratio* dicitur. Quomodo paullò pōst ait: *Varro in primore libro scripsit de ratione vocabulorum scitissime.* Ac sic quoque ubique se interpretatum ait Cæsar Scaliger lib. IIII. Poëtices cap. LV. Nempe ita usus obtinuit, ut, laxius extensā significacione, cā voce utamar pro quavis ratione, quā vox à voce formatur. Anastasio Monacho ita definitur: *Ἐπυμολογία ἐστιν ἡ τὸ δυνάμεως Ἀνόμαλος ὁρίστις ἐξ αὐτῆς ἐπομαχίας ἐγινενδούμενην.* Sententia est: *Etymologia est, cum, ad vim vocabuli exprimendam, recte illud & verē esse nominis impositionem ex ipso vocabulo ostenditur.* Isidorus lib. I Orig. cap. xxviiii: *Etymologia est origo vocabulorum, cum vis verbī, vel nominis, per interpretationem colligitur.* Vt abunde liqueat, quantopere eos ratio fuderit, qui, contra usum veterum, ἐπυμολογίαν dixerit eam Grammatices Methodicę partem, que voces singulas ad octo, vel plures, pauciorēs, revocat classes, & secundum classium proprietatem voces eas expendit. Sanè veteres eam partem ἀναλογίας, & ἀνωμαλίας nominibus, malunt nuncupare; quia circa hæc duo potissimum versatur.

Habet igitur ἐπυμολογία se ad Exegeten penè, ut scientia naturalis, quam Phyllicen dicimus, ad Historiam naturalem. Historia enim tantum nudè, quid sit, docet. Phyllice inquirit in omnium caussas. Siquidem philosophia est rerum divinarum, humanarumque, per caussas cognitione. Vt qui caussas negligit, naturæ quidem historiam tradat: sed phyllici munus non impletat. Similiter Exegetice se hoc habet, quod vocum significaciones doceat, atque inter proprias, & trahentias, distinguat. Sed etymologia est caussas aperire, cur rei cuique vocabulum ejusmodi sit datum, & cur quid propriè, ac primariò, hoc signet; ad aliud vero, atque aliud, postea sit translatum. Ex origine autem proprietas vocis cognoscitur: quomodo de rerum proprietate inter eos, qui ad hereditatem eandem adspirant, exinde quid hic proprius, ille longius, ab origine alicujus absit, judicium ferri solet. Itaque & hic res se habet, uti cum historia. Nec enim eam intelligere possis, nisi genus, & stirpem istorum, nōris, quorum gesta narrantur. Siquidem cum multi sint *civitatis*, nomina eorum confundentur: ut Decii patris cum filio, Scipionis Africani majoris cum miniore: ac par ratio in tot Metellis, atque aliis. Ita & voces *epulones*, vel diverse, sed similes, promiscue usurpantur à non paucis; quia, ob originis ignorantiam, eorum propriam ac nativam signifi-

significationem nesciunt. Quæ pluribus sumus perfecti ob illos, qui nobilem hanc doctrinam cōculpant, quia ignorant.

**11. §. Origo ea interdam ex eadem lingua arcessitur: ut in Latinis è Latina, in Gracis è Greca: interdum autem ex aliena; ut in Latinis à Greca, presertim illi & solum \***

\* *Quæ sit  
hanc lib. 1.  
cap. 6.*

*ab Oriente, pricipue Syris.*

Nusquam verò magis ineptiunt Greculi Grammatici; quandoque & Plato, & Stoici, ac philosophorum alii; quam in origine vocum explicandâ: cuius causa præcipua partim inde est, quod plerorumque ea foret opinio, voces significare naturâ; partim ab aliarum linguarum, præcipue Orientalium, ignorantia. Qua de re alibi futius, ut spero, dicam. Quod verò doctissimus Varro, etiam in iis, quæ Latinos à Gracis accepisse, extra controvertiam poni debet, se penumero te adeò turpiter det, ab invidia imprimis finalè profectum videtur. Ut cùm ei derivatur *ager* ab agendo, *pater* à patefaciendo semine, & id genus trecenta. Nimirum ægre poterat adduci, ut fateretur, Romanos illos debere linguam suam, quibus imperarent: quorum etiam aſtentationes, ac levitatem, usque adeo odissent. Atque hoc nomine Quintilianus tib vir acris <sup>tib</sup> 1. judicij, jure Varronem culpavit. Similiter Platonem alii. Proclus tamen <sup>cap. 6.</sup> Platonem, in scholiis ad ejus Cratylum, defendit. Et favet ei quoque Nigidius Figulus apud Agellum.

**12. §. Ex Latinis (ut de Varrone nunc taceam) Verrius Flaccus, nepotum Augusti magister, libros de Verborum significacione edidit; ac paſſim etiam originem & locum expofuit.**

Eos libros laudant Plinius, Agellius, Charitus, Diomedes, Velius Longus, Priscianus, & præ cæteris Festus Pompejus; qui Verrium in epitomen rededit, nec relectare multa contentus, etiam Critici munus obēundo, judicium tulit, ſepe æquum, ſubinde iniquum. Sed, qui non optimè meritus est contra Verrio, naetus est alium; qui deterius etiam de illo mereretur. Is fuit Paullus Diaconus; qui, temporibus Karoli Magni, ipsum etiam Festum rededit in compendium; hoc est, Verrium e verre majalem fecit, planèque eviravit. Sed bene est, quod summus vir Antonius Augustinus, dum litibus judicandi Romæ operam daret, posteaque ex Allifano, & Herdenſi episcopo, Tarracoensis factus Archiepiscopus, ipius Festi fragmentum ex bibliotheca Farnesiana juris publici fecerit cum eruditis notis: poſteaque cum longe doctissimis ob-

<sup>36</sup> D E T A I L S  
fervationibus publicarit Iosephus Scaliger; etiam illa, ubi Paullum  
dintaxat habemus. Nec frustrandus fuà gloria Fulvius Virsinus: qui  
Festi fragmentum longè accuratiùs postea cum Mso contulit: ac præ-  
terea alterum Festi fragmentum, quod Pomponii Leti quondam sue-  
rat, adjecit. Farnesianum in litera M cœpit; in T defuit. Illud I æti  
item incipit in M; atque in V terminatur. De Festo hoc tale est Ios. hi  
Scaligeri\* judicium: *Festo scriptorem utiliorem lingua Latina non habet.*

\* in prefat. Scaligeri Judicium. Tego scriptorum in morem suam non videntur ad festum.

13. §. Nihil ad Festum Nonius: scriptor, quod mirum eti  
Prisciano laudatus: at, si verum dicere licet, nec erudit. .  
judicio laudabilis. Quo tamen carere nequeamus, propter a...  
ta tot veterum fragmenta, que alibi non reperiatis. Sane hoc  
nomine exsuperat, quicquid est veterum Grammaticorum.

Omnium codicum MSSorum antiquissimus videtur ille è bibliotheca S. Victoris Parisiensis; & fortasse è quo MSS cæteri sint exptessi. Eum in primis codicem secutus maximus vir Iosias Mercurius in editione ea, quæ longè post se reliquit Hadriani Iunii, Dionyphi Gothofredi, aliorumque industriam.

14. §. *Vilis etiam opera est, quam Iudorus, Hispanensis Ecclesie Episcopus Metropolitanus, presul in xx Originum libris.*

**Quos ex optimis quibusque scriptoribus, plerisque etiam Ecclesiastici, compilavit.** Clariat mox à temporibus Mauriti. Imperatoris, & Reccaredi, Hispaniae regis. Castigatiorem edidit Batile. & Bonaventura Vulcanius, præceptor meus: sed multo postea ex Mssis Codd. emen-  
<sup>t AN. 1601.</sup> dationem juris publici Paritiis t fecit Iacobus iu Breul Monachus S. Germani à Pratis: qui & , unde plerique omnia hauserit, in notis suis exposuit.

15. §. Ad ἐζήνους etiam pertinent Cornelius Fronto, Fulgentius  
Planciades, &c; alii:

De quibus diximus libro I. de Arte Grammatica cap. v.

16. §. E<sup>γ</sup>γνωμ<sup>η</sup> etiam exornarunt multi è Græcis scriptoribus,  
et quidem, cùm adhuc ea lingua obtineret.

Sic, Photio teste in bibliotheca, scripsit Dorotheus ωδι η ξενω-

*εἰναὶ μὲν οὐκέτινεν.* Etiam τοῖς γράμμασιν egit Pamphilus Alexandrinus, Grammaticus Aeschylos, unus ex iis, quos exscribit Suidas. De istud egere, Simmias Rhodius, Amerias Macedo, Clitaichus, Philoxenus, & tot aliis, memorati cum aliis, tum Athenaeo, & Suidæ: a quo & *καὶ* illi, è quibus sua concessit, in vestibulo operis referuntur.

17. §. *Ex iis, qui supersunt, præcipui sunt nominis Iulius Pollux, Harpocrate, Hesychius, Suidas.*

Quorum Pollux Onomasticon suum Cæsari Commodo dicavit. Harpocratio Valerius dictus, Rhetor Alexandrinus, λεξικὸν decem Rhetorum reliquit. Ac vel hic est Harpocratio ille, quem Veri imperatoris præceptorem fuisse Capitolinus scribit: vel is fuerit Ælius Harpocratio Sophista; a quo & ipso Suidas ait actum esse de vocibus, quæ Rhetoribus ignotæ. Multa istud verbis tradidit, quibus Athenaeus; ut vel hic Harpocrationem, vel is Athenaeum exscriperit. Nempe æquales fuere, utcumque fortassis alter alteri supervixerit. Sanè & Athenaeus clariuit temporibus Antonini Philosophi, & L. Veri Imp. ac postea etiam vixisse, arguit, quod libro *καὶ* quendam narrat de Commodo Imperatore: idque cā libertate, ut ad Pertinacis etiam, ac Severi tempora pervenisse videatur. Hesychii λεξικὸν Græcæ linguae thesaurum ducebat præceptor in Gracis meus Bon. Vulcanius\*. Qui & gentilem, non Christianam, fuisse, censet †. Mthi ille, quem gentilem <sup>αρχαίον</sup> <sub>πατριανόν</sub> Suidas putat, diversus ab hoc videtur. Sanè lexici scriptor tam <sup>αρχαίον</sup> <sub>πατριανόν</sub> multa admisit e Scripturis, eorumque Græcis interpretibus, ut non <sub>τεττάρης</sub> aliud licet suspicari. Suidas minimum ante annos vixit quingentos: nemipe temporibus Alexii Commeni. Inīo, si idem est Suidas, cuius meminit Stephanus, tive Hermolaus Byzantius, qui Iustinianum Imperatoris temporibus in epitomen rediget, ante annos fuerit milenos. Hoc si placet, multa addiderint juniores; quomodo Calepinus toties recognitus varia à variis percepit incrementa. Nec e recentioribus sūa laude Spoliandus Vatinus Phavorinus Camers, episcopus Nucerinus; qui lexicon suum, Ioannis Lascaris etiam, & Scipionis Carteromachi versibus merito prædicatum, Julio de Medices Cardinali dicebat: ut, quam recentis sit, non possit ignorari. Angelus Politianus Græco quoddam epigrammate sic laudat, ut hominem Latinum (Camerinum enim ei patria, ut ajebam) dicat *αἰλιπτελαξεγῆς* nunc ipsam sustinere, atque alere Græciam.

C A P V T VI.  
D E E X E G E T I C E  
vocum conjunctarum.

I. §. **H**actenus de Exegetice vocum singularum. Superius verò dicebamus, quemadmodum Technice non in privis tantum vocibus occupatur, sed etiam in earum structura: ita & Exegetice non solum vocum singularum vim exponere, sed simul conjunctarum. Atque ad hanc partem referendi, qui proverbiorum vim, & originem, enarrant. Quales olim multi fure magni nominis: sed quorum scripta injuria temporum nobis depeterint.

In his Aristoteles fuit, cuius παροιμιῶν librum memorat Diogenes Laertius, atque alii. A Cephisodoro tamen, Ilocratis discipulo, eoque Aristotelii iniquiori, reprehensus hoc nomine fuit, ὡς & παροιμίας λόγος ἀξιος τὸ παροιμιας ἀθεοῖς<sup>\*</sup> quasi non operae pretium fecisset coacervandis adagios. Testis Athenaeus lib. I. Verum non eo minus magistri vestigis institut Theophrastus: qui & ipse de Proverbiis scripsit; ut indicat Harpocration in Αριστοτέλης ἀνδραῖοι διάκυντοι. Sed & idem factum ab altero Aristotelis auditore, Clearcho Solensi: ut scimus ex Athenei Δειπνοφ. lib. IV, & VII. Facilèque assentior Schotto, etiam apud Theocriti scholiastant, non valde antiquum, in idyll. V, nomen *Clearchi*, pro *Cleanthi*, reponi oportere. Ex Suida discere est, itidem proverbia collegisse *Æschylum*, *Thætetum*, *Aristarchum*, *Demonem*: cuius & liber de Proverbiis decimus quartus laudatur ab eo, qui voces Demosthenicas exposuit. Atque idem Suidas, & Lamprias in indice librorum Plutarchi, memorant Selucum καὶ τὸ παροιμιῶν Αλεξανδρῖον παροιμιῶν\*. Adhæc Didymi meminit Helladi in Chrestomathia apud Photium in bibliotheca. Imò ex eo, & Tharræo, sua se compilasse, agnoscit Zenobius. Atque idem, præter *Æschylum*, de quo dixi, celebrat quoque Mylonem παροιμιογράφον. Apud Stephanum in Τίτεων etiam videoas tractasse hoc argumento Apollonidem Nicenum. E Latinis veteribus non occurrit aliis, præter L. Appulejum Madaurensem. Proverbiorum ejus librum secundum citat Sofipater lib. XI.

2. §. *Eorum, qui ad tempora nostra perdurarunt, duo illi sunt antiquissimi; Zenodotus, sive potius Zenobius, & Diogenianus Heracleota: quorum uterque vixit temporibus Hadriani Caesaris.*

De amborum ætate testis Suidas. Priorem sive ipsius Zenodotum, ratiōnē Zenobium vocat Erasmus: nec de priori auctoritas deficit. Nam ipse prolegomenis in Chiladias ait, sequi se Aristophanis scholiaitem ē Nο C τ θε τη ισ τη, ubi sic vocetur. Videtur incerim præstare *Zenobi* appellatio; quando ita Suidas, & iphus Zenobii codd. Addit Suidas, tribus libris sua exscipissime ex Didymo, & Tarrhao. Alter erat Diogenianus Heracleota, dubium, utrum ex Ponti, an aliâ Heracleâ. Operis  $\pi\alpha\tau\eta\mu\alpha\omega$  meminit quoque Suidas: ubi manifesto errore legitur,  $\pi\alpha\tau\eta\mu\alpha\omega$   $\pi\tau\zeta\mu\omega$ , &  $\pi\alpha\tau\eta\mu\alpha\omega$  scriptissime. Nam sine dubio aduentiendum Andr. Schottio; qui posteriori loco  $\pi\alpha\tau\eta\mu\alpha\omega$  corrigit: quod opus hodieque extare dicebamus. Primus vero ē codice Electoralis bibliothecæ Palatinæ, & altero V. C L. Petri Pantini, publici juris fecit Andreas Schottus, vir non uno nomine præclare meritus de Rep. literaria. Ex hoc Diogeniano adagia se in lexicon suum transcriptisse, refert ipse Hesychius in prefatione, quæ est ad Eulogium fodalem.

3. §. *Huicce pari geminam Schottus proverbiorum appendicem addidit; ē Vaticana unam bibliotheca, ex Suida alteram.*

Vidit priorem Erasmus: sed non satis liquet, cur eam *Plutarchi* vocet. Num dicemus, illum cum *Plutarchi* codicibus reperisse compāctam: atque inde credidisse, vel Cheronensis illius, vel junioris esse Plutarchi foetum? Quicquid istius fuerit, fātem Plutarchi esse senioris opus nequit. Nam in Proverbīis numerat adag. LXXXIX, Σαλ in περὶ Σολομῶν, *Saul in Prophetis*. Deductum hoc adagium ex 1, tive 111 Regum cap.x. Vnde proverbium nemo peteret gentilis. Nec vel Lamprias ejus operis meminit Indice operum Plutarchi; nec Plutarcho tribuit ante Eratimum quisquam.

4. §. *Supersunt & parvam Michaelis Apostolit: qui non nisi ante annos circiter ducentos vixit.*

Quippe familiaris Gemisti Plethonis, æqualis etiam Beßarionis, patriarchæ Niceni. Ac exstat quoque ejus panegyricus ad Fredericum III Imperatorem. Parœmias illius primus Basileæ edidit Hervagius anno

anno c 15 15 XXXVIII. Sed duplo auctius id opus prodiit postea curâ Petri Pantini, & Andreæ Schotti.

5. §. *E Latinis, quos habemus, precipuam meruit laudem Desiderius Erasmus.*

Cœpisse se ait hoc proverbiorum argumentum tractare anno c 15 15. Atque ante obitum decies, & amplius, auctius semper auctiusque, diligavit. Post eum multi alii haec provinciam fulceperunt. In his erudita emicat industria Hadriani Junii Hornani; qui Erasmo octo centurias, & dimidiam adjunxit. Proxima laus videtur Ioannis Alex. Braſſicani, & Ioan. Vlpiani. Sed omnes nihil attinet memorare: quando vulgo uno fere volumine cum Erasmi, & Junii proverbii, excudi solent.

6. §. *Præterquam verò, quod proverbiorum notitia plurimum conferat ad melius intelligendos veteres scriptores; que res ad Grammaticen pertinet: etiam usus eorum ornatum adserit orationi; quâ parte inservit arti Rhetorice.*

Vide Demetrium *περὶ ἐρωτήσεως.*

7. §. *Nec modo arti Rhetorice conductus; sed, quod longè excellens, etiam facultati Oratorie. Siquidem ea, ob antiquitatem, adserunt majestatem, & pondus quoddam, orationi, ad facile persuadendum.*

\* cap. ult.  
ex vulgaris  
definitione:  
esse secundum illam  
Danieli  
Barbari, &  
Strutini,  
cap. 45.  
& in partibus  
eiusdem.

Ideo Aristoteles quoque ea lib. 1. Rhetoricorum \* inter argumenta *ἀποχειρά* t̄ reponit, velut illustrē testimonij genus. Fabius quoque lib. v. cum exemplis coniungit, ac Deorum subjungit oraculis. Magnopere etiam vim eorum aperit; quod, ut ibidem legas, *Non durissent eternum, nisi vera omnibus viderentur.*

8. §. *Multa adhuc proverbia historie lucem prebent; uti ipsa vicissim ex historia capiunt lucem.*

Quod inde est, quia plerisque ab veteri historia sit origo. Quale illud, *Veriora iis, que ad Sagram acciderunt. Ilaut curae Hippoclidi, &c.*

9. §. *Precipua verò adagiorum est utilitas, quod magnam partem ad vitæ institutionem pertineant.*

Vfque

Vsque aded, ut Donatus, ac Diomedes, in adagio τὸ γνωμικόν requirant; perperam quidem; luculento interim arguento, sic plurimum contingere. Atque idem magni Aristotelis judicium fuit; ut refert Sy-nesius, Cyrenensis episcopus, in Encomio Calvitii \*: Ή παρομία στέψειν. \* editionis  
πῶς δ' ἔχει στέψειν; οὐδὲ ἡ Αειστέλευτη φύσιν, οὐ παλαιάς εἰσι φιλοσοφίας, Tunc nobis  
οὐ τὴ μεγίστης ἀνθεώτων φιλοσοφίας ἐπιτελεῖσθαι παλαιότερης φιλοσοφίας P. 53.  
ἡσά συντριπταν, καὶ διξιπλά. Παρομία δὲ καὶ τέτο καὶ λογοθέσιων τετραπλία  
τὸ θεῖον κατηγορίας φιλοσοφίας τὰ δεχαντεῖται, οὐδὲ βόειαν ὑπελέπειν αὐτήν. anno 1612.  
Πάμπολι τὸ εἰ παλαιὸν τὸν εἰς αἴνηται διεγένετο. Paromia quiddam  
sapientis est. Quidni enim? cum Aristoteles dicat, paromias veteris esse philo-  
sophiae, magna humanae rerum calamitate, desperitate, reliquias quasdam,  
partim ob compendium, ac brevitatem, partim ob gratiam quandam, ac dex-  
teritatem, perdurantes. Proverbiū enim sermo est dignitatem habens, ē  
philosophia, unde antiquitatem traxit, deponitam. Adeo ut gravi ac torvo  
vultu eam intueatur. Veteres enim longè perspicatores fuere in veritate  
cognoscendi, quam qui nunc sunt.

## C A P V T VII.

Ad puram dictionem comparandam non sufficere lectionem Grammaticorum: sed requiri, ut versemus, & imitemur bonos auctores: & quis ordo in iis servandus. Præterea quid de veteribus sentiendum, qui Grammaticorum curæ subjecerunt poëtarum enarrationem, & judicium de scri-  
ptoribus.

I. §. **Q**uamquam vero pure loquendi disciplina solum versetur  
circa artis precepta, & verborum significaciones: non  
propterea existimandum, solum Grammaticis legendis perveniri  
ad puri sermonis laudem. Præterea enim diligenti lectione, &  
imitatione clasicorum scriptorum, opus est.

Item ne quidem differenda horum lectione, usque dum multum in no-  
bilibus illis technicis, & lexicographis, quos diximus, erimus versati: sed  
versandi sunt nobis, simulac facilitioribus aliquot preceptis, & noti-  
tia vocum communiorum, fuerimus imbuti; sic ut jam balbutire Latine  
incipiamus. Vbi vero & longius paulo proiecti erimus, tam deinceps  
addemus vetustos illos technicos, etymologos, & exterios vocum ex-  
planatores, quod ex iis etiam cauſtas discamus sermonis Latinii.

# DE PHILOLOGIA.

42

2. §. In legendis auctōribus planè ordo aliquis est servandus. Nempe à facilioribus incipiendum: ut sunt fabellæ Æsopicæ, vel colloquia familiaria, aut desumpta ex historia sacra, ut ita cum lingue notitia simul pietas, ac boni mores imbibantur. Hinc legendi scriptores clāsici: quales è Latinis precipū sunt Cicero, Cæsar, Terentius:

Scriptor, ut ad nomen ipsum alludamus, terendus adolescentiæ noctu, diuque.

3. §. Hinc ad alios, atque alios, deveniendum; idque eo ordine, ut ultimi legantur, qui plurimum ab felici Augusti evo recesserint.

Sed de hoc Latinorum scriptorum delectu accuratiū diximus in Partitionibus Oratoriis \*.

\* lib. 4.  
cap. 1. 5.61,  
ac demept.

4. §. Quod de ordine studiorum dicebamus in Latinis; idem in Gracis habet locum. Quare neque hic ab amplis nobiliorum Grammaticorum commentariis veniendum ad auctōres bonos: sed ab his ad Grammaticos illos. Inque auctōribus præmitendi faciliores.

Vt, præter fabellas Æsopi, sunt faciliores dialogi Luciani, nihil moribus noxiū habentes. Inde & Aristophanes addatur, & cætera Luciani: item Herodotus, & Xenophon; Isocrates, & Demosthenes. Ab his ad alios gradum capessemus.

5. §. Olim verborum Gracorum doctrina initio ex Homero, & poëtarum aliis, discebatur.

Vnde apud Sextum Dionysio Thraci in præceptis Grammatices definitur hæc ars, ἐμπειρία τὸν τέχνης, καὶ συγεαφέσι, λεγούσιων experientia eorum, qua dicuntur a poëta, ac scriptoribus. Vbi Ptolemaeo Peripatetico displicet, quid vocet ἐμπειρίαν. Atque idem improbat Asclepiades; qui retinet definitionem Dionysii, excepta voce ἐμπειρίας. Porro ex eo, quid Dionysius, & Asclepiades, poëtis opponant τὰς συγεαφέσι; recte colligit Sextus, intelligi τὰς καταλογάδις πεισματοθήμους, eos, qui prosa scripsere. Nec multum abeunt Demetrius Chlorus, & alii;

&c alii; qui, ut Sextus ait, maluere dicere, esse eam τέχνην τὸ μεταφυσικόν, καὶ τὴν οὐρανικήν συνίζειν λέξεων εἰδήσιν. notitiam vocum, quae apud poëtis sunt, quæque in communi usu.

6. §. Nunc satius est incipere ab illis, qui prosâ scripserunt. Nam communis loquendi forma, qualis ea est, que prosa dicitur, est fundamentum dictionis Poëticæ; que peculiaris lingua est, ac ferè figurata; ut per vulgarem illam debeat exponi. At prius necesse est intelligi poëtam interpres, quâm nos posse poetas intelligere speremus. Olim autem disspar erat ratio; quia tum lingua Latina, ac Graeca, erant vernaculae, ut interpretum linguam noverint à pueritia.

Quare, si rem accuratè inspiciamus, non aliis nunc ordo est ineundus, ac olim. Nam ætatis solum, non ordinis est discriminē. Olim quippe linguam vulgarem à teneris discēbant unguiculis; grandiusculi ad poëtas animum appellebant: nos grandiusculi acquirimus notitiam lingue vulgaris, ac natu majores discimus poëtas.

7. §. Ordinem hunc etiam natura comprobat. Prius enim est simpliciter loqui, quam ornare; prius ornare, quam metro.

Triplex quippe est studium sermonis à natura nobis datum: loquendi emendatè, ornatè, & modulatè. Vnde tres illæ artes, Grammaticæ, Rhetorice, Metrice: quarum posterior priorem semper continet: quomodo in circulis circa centrum idem descriptis major semper continet minorem. Itaque à Grammaticæ adscendimus ad Rhetoricen, quæ emendato sermoni adjungit ornatum: à Rhetorice adscendimus ad Versificatoriam. Sic liceat eam appellare, quæ sermoni emendato, comtōque, metrum superaddit.

8. §. Nec *afidua bonorum scriptorum lectio sufficit*: sed etiam requiritur *imitatio*, secundum illud, Solus & artifices qui facit, usus erit.

Cujusmodi ea imitatio esse debeat, jam plures tradidere: in his Sebastianus Foxius Morzilius Hispalensis libris duobus, quos de imitatione, seu de informandi styli ratione inscripsit. Atque hi non ad puram modum, sed ornatam etiam orationem, atque adeo planè oratoriam,

# D E P H I L O G I A.

44

muniunt viam. Vide commentariolum nostrum de Imitatione oratoria,  
ac poëtica, & veterum recitatione.

9. §. *Hec doctrina de puro sermone bonam nobis prime etatis partem absunit. Quod olim non erat necesse: præfertim in Grecia: quia, ut diximus, linguam Græcam, quâ artes omnes, ac philosophia ipsa tradita est, penè cum laetè hauriebant.*

Eaque potissima est ratio, cur olim ad tantum fastigium pervenerint philosophi in Grecia. Nam bonos annos, quos in Latine, Græcaeque, lingue studio insumimus, illi matheſi, ac philosophiaæ impendebant.

**Q**VIA satis ex his liquet, quæ requirantur purum ad sermonem com-parandum: ab Grammatice jam ad proximas abiem disciplinas; nih manum injicerent aliqui, qui latius, quam nos fecimus, Grammaticos limites extenderunt. Hoc autem trifariam faciunt. Primum, quia per *Methodicen* non solum intelligunt præcepta bene loquendi, sive puri sermonis: sed etiam de tropis, & schematibus: item de modulatione carminis. Sed cur ea, propriè si loqui velimus, non sint pars Grammatices; mox dicam, ubi ad artem Rhetoricam, & Metricam, fuerit deuentum. Alterum est, quod per *Exegeticen* intelligunt non solum, quæ ad significaciones vocum pertinent; sed enarrationem quoque scriptorum; præfertim poëtarum. Sic Fabius lib. i. cap. iv: *Hec professio brevissime in duas partes dividitur; recte loquendi scientiam, & poëtarum enarrationem.* Hanc sub alio etiam nomine alii subiectum Grammaticæ: ut ex Sexto Empirico mox videbimus. Opinio haec inde orta est, quod Grammatici poëtas explicarent, & alios scriptores: poëtarum verò, oratorum, historicorum scripta, referta sint multis ad rerum naturam, & alias scientias, pertinentibus. Verum parum cogitant, Grammaticum non enarrare ista ex Grammaticis; ied alis scientiis: eoque propriè ista pertinere ad alios; uti astrologicoram explicationem ad astrologum; medicarum rerum ad medicum; atque ita in cæteris: in quibus Grammaticus cœcutit; niti idem alii sit scientiis imbutus. Nempe Grammaticus, quatenus Grammaticus, solum judicium fert de iis, quæ ad verborum curam pertinent: vel, si per Grammaticen intelligatur φιλολογία, de iis præterea, quæ ad historiam vel veram, vel fabularem referuntur; vel inde dependent: ut si ex phraſi, historia, vel fabula, liqueat de loci emendatione; vel an liber, aut versus sit

sit genuinus. Sic igitur statuendum, distributionem Grammatices ab iis allatam, non esse petitam ex natura artis, sed professione artificum; qui temporibus veteribus etiam poëtas enarrabant; non solum ope Grammatices; sed aliarum etiam scientiarum, quas sibi multo studio comparabant. Tertium quoque est, in quo ab iis abeamus; uti quod Grammatices etiam partem faciant *τεχνη*: quam ita appellant, quia de omnibus scriptoribus, poëtis præcipue, judicium ferat. Atque hanc sententiam etiam adducit Sextus Empiricus: sed aliter nuncupat. Locus est adversus Grammaticos cap. iv: ubi cum primam Grammatices partem fecisset *τεχνη*, sive *artificio*; alteram *τεχνη*; tertiam nominat *τεχνη*, sive *magis propriam*. Eamque ait exponere difficultia omnia in poëtis, & aliis scriptoribus: item germana distinguere ab adulterinis. De poëtarum enarratione quod ait, satis excussum, cum de *τεχνη* diceremus. Ad judicium quod attinet de scriptis, aut versibus genuinis; sunt quidem aliquæ in isto etiam Grammatici partes; ut si ex imputa dictione colligat, aliquid non esse germanum: item partes sunt philologi, ut si de eo statuat ex *αντιγραφ*, vel quia scriptor meminerit illorum, qui longè post vixerint: sed majores partes sunt ejus, qui *προφεται* profiteatur: qualis ex mathesi quoque judicium faciet: maximè vero, si quis præterea philosophiam, medicinam, jurisprudentiam, animo sit complexus. Nam & poëtae, atque alii, etiam admiscere, vel tangere quedam solent, ex penitiori philosophia, & ejus stolonibus, de prompta. Atque haec satis ostendunt, alios esse Criticos, alios Grammaticos: quod etiam Cratetis judicium fuit; ut Sextus Empiricus ait adversus Grammaticos cap. iii. Vide & suse eundem de isto disserentem cap. xxi. Pluribusque hoc ostendam, cum de Philosophia stolonibus disseram.

## CAPVT VIII.

## DE ARTE RHETORICA.

2. §. **H**abemus de puritate: nunc videamus de cura ornatus; circa quem ars Rhetorice versatur.

Nec de nihilo pitandum, quod *ars* potius dicam, quam *fauultatem*, cum plurimum haec distent. At Rhetorice solum agit de interno sermonis ornatu: non item de externo; cuiusmodi est à pronunciatione, sive actione idonea. Ac multò minus tractat de inventione argumentorum ad persuadendum aptorum; vel de eorum *argutia*, sive dispon-

# D E P H I L O L O G I A.

46

dispositione. At universa istec complectitur facultas Rhetorice , sive Oratoria , quæ & Eloquentia dicitur. Tam grande discrimen proficiuntur à materia , & fine diverso. Omnis materies quodammodo est capax ornatus : qui hoc unum præstat, ut quid suavius accidat ad aures. Hoc locum quoque habet in epistola familiari de prædioli ubertate , & elegantiâ , de villici fuga , in nuncio de morte conjugis , vel fratri , vel ludis in urbe propediem futuris : item de siderum natura , vel anima- lium, aliisque hujuscemodi. At Oratoria facultas propriè regnat in se- natu , vel judiciis , vel ad populum : inque judiciis agitur de justo , & injusto ; in deliberationibus de honesto , & turpi; utili , & inutili. Vnde Oratores non tam prodeunt ex Rhetorum Gymnaliis , quam Philo- phorum spatiis : ut Cicero etiam in Oratore testatur. Idem ex eo co- gnoscimus , quid Cicero , & alii , Oratoriam definit scientiam pru- denter, copiose, ornatèque dicendi. Ut omnino ad prudentiam politi- cam pertineat. Hæc enim partim in actione, partim in oratione civili, attenditur : quemadmodum pleniùs explicabitur , cùm de philosophia practica, & variis studiis ex ea prognatis, dicetur.

**2. §. Partes artis Rhetorice sunt du.e. Prior tradit generalia Elo- cutionis precepta , non habità ratione materie, vel characteris. Estque hac partim de compositione, partim dignitate. Composi- tio vel est de junctura, sive literarum concurso : vel de periodo, ac numero. Dignitas est de tropis , & schematibus. Pars Rheto- rices altera continet precepta specialia pro diversitate materie, ac characteris.**

Quemadmodum in domo exstruendâ partim ad ea attenditur , quæ eam firmorem reddant , partim quæ elegantiores : ita in oratione condendâ studemus , ut ea sit tum pura , tum venusta & elegans. Sed conditor orationis prius præstat, quatenus est Grammaticus : posteriorius, quatenus idem est Rhetor. Vt cunque enim sint diversa artificia , in eo- dem tamen artifice concurrunt. Hæc venustas observatur , tum in com- positione; quæ juncturam, periodum, & numerum comprehendit : tum dignitate ; quæ tropos , & schemata adsumit. Interim singula horum variare debent pro argumento , & genio cuiusque. Vnde varius char- acter ; tenuis, medius, ac sublimis. Eaque specialis doctrina quali Colo- phonem imponit arti Rhetorice.

3. §. De

3. §. *De elocutione, sive ornatu, præcipua Gorgie, & aliorum Sophistarum, cura esse solet.*

Imò & Isocrates hac parte erat nimis anxius. Itaque ut fucatam, & calamistris inustam, meretrici similem dicebat Cæsar Scaliger : qui Platoniam dictionem matronæ gravi, ac decoræ : Aristotelicam virginis honestæ conferebat.

4. §. *Scriptores de Elocutione exstant complures. Paucæ, sed bona, tradidit Aristoteles in Rhetoricorum tertio. Longè verò accuratiùs, ac fusiùs, de ea traclarunt juniores. Ex iis supersunt, Diomÿsius Halicarnassensis in Criticis, ac Rhetoricis; Hermogenes ὥδι idem; Demetrius Alexandrinus, qui vulgo Phalereus; Longinus ὥδι uox. Item è Latinis, Tullius, Rutilius Lupus, Quintilianus, Aquila Romanus, Iulius Rufinianus, Ruffinus.*

De hisce abunde diximus lib. de natura Rhetorices, & Rhetoribus antiquis.

5. §. *Plerique Grammatici veteres hanc ornandæ dictionis curam magniæ ex parte sibi vindicarunt. Ut qui de tropis, & schematis, egerint in Grammaticis Institutionibus.*

Factum hoc à Charisio lib. 11, Diomede lib. 11, item Donato ; ut mittam juniorum non paucos.

6. §. *Ac de tropis quidem nolim cum iis ferram reciprocare. Quippe Grammatici est interpretari significationes verborum. At hoc accurate fieri nequit, nisi doceatur, que propriæ, ac principes fuerit significatio; que aliena: & qua de caussa in aliena sumatur: causse verò istæ pro natura troporum variant.*

Siquidem vel in alienam significationem vox transfertur ob similitudinem; ut in metaphora sit: vel ob vinculum non essentialie quidem, attamen quale est rei, & ejus, quod rei inest, vel adest: quemadmodum ubi unum est caussa externa, alterum effectum; vel unum est subjectum, alterum adjunctum; cuiusmodi permutat metonymia: vel ob nexum στιχη<sup>\*</sup>; sicuti quando unum est totum, alterum pars; qualium <sup>etym.</sup> significationem invertit synecdoche. Hæc in significationibus vocalium

## D E P H I L O L O G I A.

48

balorum exponentis sedulò distinguere debet Grammaticus ; quandò plurimùm ea res facit ad naturam vocum melius intelligendam ; cùm eadem vox aliud possit significare propriè , aliud  $\chi\mu\epsilon\zeta\phi\epsilon\gamma\pi$  , aliud  $\chi\mu\epsilon\zeta\phi\epsilon\gamma\pi\alpha\tau$  ; aliud  $\chi\mu\epsilon\zeta\phi\epsilon\gamma\pi\omega\chi\omega$ . Vnde tantus sèpe interpretum disfensus ; præsentim in Hebreis.

**7. §.** Verùm diffar est schematum ratio : ubi non attenditur ornatus ab inversione significationis ; sed formis alitis , orationem velut coloratâ veste induentibus , vel gestuum diversitate quasi animantibus. Quæ nihil ad Grammaticum ; prout quidem id vocabuli nunc sumimus.

Sic enim munia sua explèrit , si tradat , sine quibus purus esse sermo non possit. Alia si addat , jam aliena invadit.

**8. §.** Olim tamen Grammatici quidam , ne schematum quidem doctrinâ contenti , etiam profitebantur dicendi elementa , que Grati vocant  $\omega\epsilon\gamma\pi\mu\pi\sigma\mu\alpha\lg$ .

Vnde & Priscianus Grammaticus de Praeexcercitamentis scripsit.

**9. §.** Sed omnino prudentius alii eâ parte cedebant illis , qui propriè hac artis esse dicerent , à qua Rethores vocarentur.

Parum interim refert , utrùm à Grammaticis ea , an à Rhetoribus , hauriantur ; dummodò suo tempore discamus : hoc est , ubi in verborum proprietate , ac differentiis , mediocriter erimus veritati , & aliquem etiam in historiis , ac fabulis , fecerimus progressum. Antea id conari sit operam ludere. Notum illud Comici \* : Sine pennis volare hanc facile est.

\* Plaut.  
Pan.

## C A P V T I X.

### D E A R T E M E T R I C A.

**1. §.** **V**Idimus de sermone puro , ornatique : qualis in prosa etiam esse debet. Venio nunc ad metrum ; quod prestat , ut quid Carmen & sit , & dicatur.

Habet quidem & numerum Orator : sed is diversus est à poëtico : nec

nec *metrum*, sed *rhythmus* vocatur. Quæ duo quomodo differant, exposui lib. iv Instit. Orat. cap. iv, sect. ii.

2. §. *Quemadmodum verò plerique ex Grammaticis antiquis sibi vindicarunt artem Rhetoricam: ita & nonnulli putarunt, Grammatices partem esse rationem condendi carminis.*

Hinc Seneca epist. LXXXVII 11: *Grammaticus circa curam sermonis versatur; &, si latius vagari vult, circa historias; jam, ut latissime fines suos proferat, circa carmina.* Mox etiam tria hæc conjungit, verborum diligentiam; historiarum, fabularumque notitiam; & legem, sive modificationem versuum. Et Diomedes quidem, ex tribus rei Grammaticæ libris, tertium poëticæ impendit. Pluresque alios mox referemus.

3. §. *Nostra verò haec sententia est, licere adversus Grammaticum lineum poscere, si profiteatur, non alia tradere se velle, quam illa sue artis, atque interea docet artem metricam.* Si enim Grammatici solum fuerit explicare, tum quid unaqueque vox significet; tum vocum *αρχαιας*, & *διαφωνιας*, & que alia pertinent ad precepta puri sermonis: Metrica ars statui nequit Grammatices pars; cum aliud sit purè, aliud ornatè, aliud metricè loqui.

Interim, ne videamur λεζουαχην; agnoscimus lubentes, Metricam etiam dici possè Grammaticæ partem; si cum Seneca, Fabio, & veterum aliis, eo nomine intelligimus Philologiam. Haec enim præter purè loquendi peritiam, ulteriore etiam ityli curam comprehendit: eam nempe, quam arti rhetoricae, ac metricæ, debemus. Imo & historiam, tum veram, tum fabularem, suo ambitu complectitur. Denique, tam latè ab antiquis sumi solet, ut Grammatices, sive Philologiae partem facerent Criticen, scientiarum omnium difficultiam: ut quæ de cunctis scriptoribus, præcipue poëtis, judicium promittat; neque id universe modò, sed etiam de singulis, quæ, in iis legendis, veniant in controversiam. Quæ de isto sententia sit nostra, iam antea exposuimus.

4. *Metricæ artis utilitas est, quod, que incolvantur numeris, & quasi claudantur, ea tum majori legantur voluptate, atque audiantur, tum diutius retineantur.*

# D E P H I L O L O G I A.

50

Sanè oracula , & salubria vitæ præcepta , non. alià de caussâ numeris inclusere ; quām quia & suaviùs , & altius , in pectus descenderent.

5. §. *Partes artis metricæ sunt due : una communis , sive corum , quæ omni metro competunt : altera propria , sive illorum , quæ certi sunt metri.*

In priori partim agitur de pedibus, unde metrum constat : partim de metri definitione , & quomodo à rhythmo distinguitur : partim de metri affectionibus ; ut sunt tres istæ ; cæsura , quales triemimeris , penthemimeris , &c. *κατάληξις* , sive depositio , cujus ratione versus dicitur acatalepticus , catalepticus , &c. dimentio , quæ per *μετροδιας* fit , vel *dimidiav.* Altera pars distinctè agit , tum de unius generis verbis ; uti de carmine heroico , jambico , trochaico , choriambico , ac cæteris : tum de carmine ex diversis metris composito , & vario ejus discrimine pro colis , & strophis.

6. §. *Metrorum non unus est inventor ; sed pro metrorum varietate sunt alii , atque alii.*

Heroico nihil antiquius apud Grecos. Hoc invenisse creditur Phanoea , una ex Apollinis vatibus : quæ sub Abante Argivo , vel Acerito , vixisse dicitur. Iambum , ut aiunt , Ananias reperit , perfecit Archilochus Parus. Quis auctor sit Pherecratii , Archilochii , Anacreontei , Sapphici , Phalæcii , Glyconii , Asclepiadei , Alemanii , ipsâ appellatione indicari videtur. Credibile tamen est nomen interdum datum , non ab auctore ; sed eo , qui præcipue illud nobilitârit.

7. §. *Ex Grecis , artis metricæ scriptoribus , præcipua est latus Hippocratensis.*

Sub Hadriano Imper. claruit , & cum Scauro , ac Harpoeratione , inter Veri Imper. præceptores reponitur à Capitolino.

8. §. *Ex Latinis hanc artem suavissimis versculis constrinxit Terentianus Maurus , Syenes in Egypto præfectus . Prorsa de eisdem egere , Diomedes libro iv , duo Marii , Victorinus , & Plotius , Servius in Centum metris ad Albinum . Adhaec Cæsus Bassus , & Atilius Fortunatianus .*

Vt Censorium præteream , vel quisquis ille fragmenti à Carrione editi cum Censorino auctor. Sed & Priscianus tractavit de metris Comicis ; ac particulatim de Terentianis Rufinus. Atque haecenus de sermonis puritate , ornatu, metro : in quibus primam Philologicæ partem versari dicebamus.

## C A P V T X.

De Philologicæ parte altera, quæ Historice dicitur : ac primùm de ejus divisione in Geographiam , Chironographiam , Genealogiam , & Historiam propriè dictam.

1. §. **A** Ltera Philologicæ cura est enarratio historiarum. Unde ea Historice dicitur. Propriè autem historia est res gestæ expositio. Sed laxius nunc eo nomine etiam antiquitates , ritus , ac ius antiquum, intelligimus. Nempe eo, quod h.ee , et si diversa sint, arctissimo tamen vinculo cohærent. Quin & fabule eo nomine continentur.

De hac Philo ἡλι τοῖς οὐρανοῖς μετέμψησεν. Τρεπουμένη ἵγειας  
ἀπὸ πυρίτης, καὶ οὐραφῶν αὐτοῦ διαδιδάξασσεν, νόστον καὶ πλημμύραν ἐξαπέτηται.  
Grammatica historias, quæ apud poetas, & alios scriptores sunt, enarrans, variam eruditonem conferet. Videmus ut non ἀπό των Historias dicat, sed addat, quæ leguntur apud Poetas, & alios scriptores ; ex quibus Historici καὶ ἑρμηνεῖσθαι συζηταφένται dicuntur. Quo fatis indicat, se Historie nomine non veras modò , sed etiam fabulofas narrationes complecti. Quod pluribus mox explicabimus.

2. §. Studium hoc antiquitate etiam commendatur. Nec enim historia Mosaica scriptum ullum vetustius est.

Vt valde erret Plinius hb. viii cap. lvi ; ubi historiam ait à Cadmo Miletio inventam. Nam Cadmus ille, ut paullò junior Orpheo fuerit, quod apud Suidam legere est ; tamen sic quoque pene sc̄ialis tribus differt à Mose. Reverā autem vixit paullò ante expeditionem Perlanum in Græciam ; ut testis est Flavius Iosephus priori contra Apionem libro. Ita ut Cadmus, qui antiquissimus est Græcorum Historicus, sit nongenitus annis recentior Mose.

# DE PHILOLOGIA.

52

3. §. Materia historiae est quadruplex. Nam vel est locorum, vel temporum, vel generis, vel actionum. De locis est Geographia; de temporibus, Chronographia; de genere, seu stirpibus, Genealogice. Suntque haec tres quasi faces historiae de actionibus: quae quartum obtinet locum; ac praecepit nomen Historiae meretur.

Prætit ad hanc divisionem quadripartitam Asclepiades apud Sextum Empiricum. Vbi historiam ait veriari circa personas, actiones, loca, tempora: personas vero esse divinas, humanas, heroeas. Ac convenit \* lib. 4 de Varro <sup>L.L.</sup>, cum omnia vocabula referri ait, ad quatuor has classes; corpus, actiones, locum, tempus. Sed omnium apertissime Eustathius, Thessalonicensis Episcopus, commentario suo in Dyonisiam de situ orbis. Vbi historiam dividit in τὸ ποικίλην, χρονικὸν, γενεαλογικὸν, καὶ περιβολικὸν. Propriè autem historia est, quæ τὸ περιβολικὸν exponit. Ejus vero qualia oculi, aut faces, sunt γενεαλογία, γεωγραφία, & χρονολογία.

## C A P V T X I.

De Geographia, ac ejus origine, & usu; deque veteribus Geographis, tum Græcis, tum Latinis.

1. §. **G**eographia describit, tum Oceanum, ac maria; tum continentes, insulas, ac peninsulae.

Nimirum agit de tota sphera terrestri: eoque non modò terrarum sicut depingit, quæ propriè sit χωρογραφία, ut vocabulum indicat: sed etiam aquarum, quæ dicitur θεραπευτική.

2. §. Continet χωρογραφίας χωρογραφίαν, & πηγαδίαν: quarum illa regionem quamplam, hac aliquem locum ob oculos ponit.

Sic χωρογραφία sit, si exponas situm Græcie: at πηγαδία fuerit, si describas Tempe Thessala.

3. §. Estque geographia mixta ex historia naturali, & civili.

Nam ut loca à natura, ita oppida sunt ab hominibus.

4. §. Ut

4. §. *Vt geometria cœpit à geographia: ita hæc à geodesia: quæ primordia sua Ægyptiis debet.*

Quippe hi terris à Nilo irrigatis, terminisque postea alluvione turbatis, de agrorum finibus, ac limitibus constituendis, agere cœperunt. Id fieri non potuit sine mensuratione terre: unde nomen *γεωμετρικός*. Vt *γεωδαιτικός* a divisione ejus, quæ fit limitibus agrorum cuique assignatis.

5. §. *Tanta verò est geographie necessitas, ut sine ea nec scriptores sacri, nec externi, possint intelligi.*

Nam quis locorum ignorans intelligat peregrinationes patriarcharum in Genesi descriptas? aut populi Israëlitici pugnas cum gentibus vicinis? aut minas Iesaiæ interminantis excedum Babylonii, Assyrii, Moabitis, Ammonitis, Syriis, Idumeis, Tyriis? aut de Christo in Nazareth concepto, in Bethlehem nato, in Capernaum habitante, Lazarum suscitante in Bethania, filium vidue in Nain, ac tot Palestine locis condonante, & miraculis suam confirmante doctrinam, tandem Hierosolymis crucifixo in monte Calvarie, e monte Olivarum adfendentem in celos? aut peregrinationem Pauli in Actis memoratam? aut in Ecclesiæ historia Sanctorum Patrum vitas ac martyria, & de conciliis habitis tam variis terrarum locis? Quodque primum a Belo in Chaldaea Babylone dicitur imperatum, à Nino in Nini urbe, quæ Ninive dicitur Hebreis: postea in Media Ecbatanis: hinc Periepoli in Persia? aut cum dicitur Persis Hellespontum junxisse ponte, Athos perfrondile, pugnasse cum Græcis ad Thermopylas, in campis Marathonis, ad Salaminem, Mycalen, Plateas? Ac porro ratio de Äneæ, & Vlyssis peregrinatione: de expeditione Alexandri Magni: de armis à Romanis per tot regiones circumlati. Mitto extera; quæ omnia referre longum foret.

6. §. *Homeri etate quasi incunabula Geographie fuerunt.*

Valde int̄im, pro illis temporibus, fuisse intelligentem Geographiæ, partim Hipparchi, & aliorum auctoritate, partim perspicuis argumentis, comprobat Strabo libro I.

7. §. *Primi, qui Geographiam post Homerum attigere, philosophi fuerunt; ut Anaximander Milesius, ejusque civis Eudoxus:*

## DE PHILOLOGIA.

item Democritus, Eudoxus, Ephorus, Dicearchus, aliquae complures: & his etate posteriores, Eratosthenes, Polybius, Posidonius, philosophi & ipsi.

Dicam de singulis, &c, ratione temporis habitâ, alios interseram, non dum memoratos nobis. Ut auctor est Strabo, initio Geographorum, post Homerum primi hanc scientiam excoluere Anaximander Milesius, Thaletis discipulus; & civis ejus Hecataeus; ut idem postea refert ex Eratosthenae. Atque addit, primum fuisse hunc Anaximandrum, qui Geographicam ediderit tabulam. Vnde de eodem sic Laërtius, Γῆς καὶ Γεωγράφου περὶ τὴν γην̄ πρῶτος τηρητὴς primus terræ, marisque, circuitum descriptio. Claruit iis temporibus, quibus Romæ regnabat Servius Tullius. Anno secundo Olympiadis LVIII aannum agebat LXIV; ut ex Apollodori Athenientis Chronicis ab Laërtio proditum est. Hecataeus Milesius illustre sibi nomen paravit θεοῦ τὸν Αἰγαῖον & Europæ; quarum meminit Athenæus: Libyæ item Stephano memoratæ. Ruti Avieni etate etiamnum existit, arguit, quod dicat, se eum sequi in descriptione oræ maritimæ.

Temporibus Xerxis, Artaxerxis Longimani, ac deinceps, Democritus Milesius magnum nomen peperit variis monumentis: in quibus & Κοσμογονίᾳ fuit, teste Laërtio.

Regnante Artaxerxe, cui Μνήμων cognomen, Eudoxus reliquit & γῆς φύσιδαν, Athenæo, & aliis, crebrò laudatam.

Proxime post eum, inter Geographos, etiam à Strabone, Ephorus reponitur. Is multa ad temporum situm pertinentia insperferat illis xxx libris, quibus septingentorum, & quinquaginta annorum historiam de gestis, tam barbarorum, quam Græcorum, complexus erat. Non tamen magnam adeò peritiam studii habuisse Geographici, legere est apud Diodorum Siculum, & Flavium Iosephum: quorum ille inscitiam de Ægypto, alter de Iberis arguit. Illocratis fuit discipulus; ut clauerit sub Artaxerxe Ocho, & deinceps.

Darii Codomanni, & Alexandri Magni temporibus claruit Seylax Caryandensis: cuius superest γῆς φύσις, five περὶ τὰς. Hoc opere non solum agit de illis intra columnas Herculis; ut ex vulgatis Suidæ codd. aliquis possit existimare; sed etiam extra eas. Eum multis locis emendavit, Notisque illustravit, filius meus Isaacus Vossius. Eum, si voles, adi.

Dicearchus Messenius, Aristotelis discipulus, Theophrasto inscriptis libros tres de populis Græciae, & moribus, ac civitatibus. Hodieque inde

inde quædam supersunt. Firmat & Suidas; qui scripsisse ait *καὶ Τιμόθεον τὸν Πελοποννησοῦ ἐρῶν*\*. Neque hoc illi usque adeò operosum; quia, \* *dimerjio  
memoratura  
in Ptolemaio  
neſa.*  
ut Plinius ait lib. 11. cap. LXV, *Regum curā montes permensis fuit.*

Temporibus Ptolemei Philadelphi fuit Pytheas Massiliensis; qui *meſa.*  
condidit opus de ambitu terre.

Item Hanno Carthaginensis; qui olim Periplum Africæ Punicæ con-  
signavit lingua. Ea Græcè reddita perduravit.

Temporibus Ptolemæi Euergetæ claruit *βῆται* illud eruditorum Era-  
tosthenes Cyrenæus: qui inter alia *γεωγραφίας* condidit; inque eam  
etiam Timoſthenis, paullo sc̄ antiquioris, librum de portibus tranſulit.

Polybius †, cui inter geographos, post Eratoſthenem, à Strabone da- + *Vide de ea  
Strabonem  
lib. 1. c.*  
tur locus, non quidem de geographia libros scripsit: ex iis tamen, que in historiarum opere admiscerat, abunde videmus, quantum huic studio **xvii.**  
operæ dederit. Claruit temporibus Ptolemei Philometoris.

Artemidorus Ephesius, qui **xii** libb. periplum orbis complexus,  
temporibus fuit Ptolemei Lathyri: ut quem Olympiade c. **lxix** flo-  
riuſſe, in *Ἑρατεῖ* sua dicat Marcianus Heracleota, scriptor temporis  
incerti; fed Stephano etiam in Ethniciis memoratus. Hujus Marciani  
*Ἑρατεῖ* carmine scriptam jambico primus edidit David Heschælius:  
uti & ejusdem *Ἑρατεῖ* maris, tum Eoi, tum Occidentalis; atque in-  
ſularum etiam, que eo continentur.

Polybio subdit idem Strabo Posidonium. Credo, is Apameensis  
fuit, quem Cicero Rhodi audivit; ut tempore ejusdem Lathyri, imo  
& Auletae, vixerit. Mover, quod Strabo recentet philosophos, geogra-  
phiae peritos. At hic in philosophia Stoica excelluit; ut ex Athenæo,  
& Suida, constat. Adde quod Polybio proxime subiungitur. At Apa-  
meensis hic historiam suam, que libris constabat **lxxi**, inde est exoriūs,  
ubi defit Polybius: quemadmodum ex Suida scimus. Hoc si non est,  
suerit Potidonus Olbiopolita: quem idem Grammaticus tradit histo-  
rica, ac geographicā varia, reliquile. Nam præter Atticam historiam,  
condidit Libyca lib. **xii**, atque egit de regione Tyria, item de Oceano,  
& terris illi vicinis.

Sub Augusto, vel non multo post, clarauit Iridorus Characenus. Par-  
thiam descripsit; unde *πατέρις Παζενάς* primus edidit Heschælius.  
Patria ei Charax; non urbs eius nominis, qua in Taurica Cheroneia,  
secundum Ptolemaeum: sed quam idem in Parthia agnoscit. Parthus  
igitur fuit; ut optimè potuerit Parthiam describere. Meminit exīti  
Tiridatis, Parthorum regis. Nam ubi Heschælius edidit *Ἑρατεῖ*, in  
Regio Parthieni codice est *Ἐρατεῖ*. Vnde etatem cognoscimus.  
Præ-

Præfertim cùm Plinio toties memoretur. Ut eo antiquiorem esse, necesse fit.

7. §. Sed præcipue juvabunt, qui post hos vixerent; Strabo Amase-nus, & Claudio Ptolemaeus; pauloq[ue] Strabone antiquior Dio-nysius æn[t]yr[us], in quem utilis exstat commentarius Eustathii, Thessalonicensis Episcopi. Praeterea etiam Arrianus Nicome-densis condidit gemini maris periplus. Docebit etiam non pau-ca Stephanus, sive Hermolaus Byzantius in Ethniciis.

Ætatem Dionysii ejus, cuius Ἀνίγματα cum Eustathii Thessaloniciensis commentario habemus, indicat, quod ab Octavo Augusto, in Parthos, & Arabas itero, in Armeniam fuerit premisus; teste Plinio lib. vi. cap. xxvii. At satis prædicari nequit doctrina, & industria Strabonis Amaseni, scriptoris gravissimi; quem Stratonem vocari debere, perperam in Peripateticis suis Discussionibus contendit Francicus Patricius. Nec inutile sit jungere Græcam ejus epitomen. Arrianus Nicomediensis Epistoli discipulus fuit, ac ponti Luxini, & maris Ery-threi periplus dicavit Cæsari Hadriano. Nec satis quis laudari ope-rarum Claudi Ptolemaei; quem in geographicis divinissimum, ac sapientissimum virum appellat Heracleota Marcianus initio peripli. Fuit Ptolemaeus temporibus Marci Aurelii Imperatoris. Hermolaus Byzantius rededit in compendium Stephani opus de populis, & civitatibus; atque id dicavit Iustiniano Imperatori.

Sub Constantino Duca, uxore Eudoxia, Romano Diogene, & Mi-chaële Duca, claruit Michaël Psellus: cuius de terra situ, figura, & magnitudine, opusculum Msum est in bibliothecis Clarissimorum Vi-torum, Iacobi Sirmondi, & Patricii Inni.

Extremis Græcorum Imperatorum temporibus fuit Georgius Ge-mistus, Bessarionis, & Michaëlis Apostoli æqualis. Ex Geographicis ejus laboribus supereft in Regia Parisiensi bibliotheca emendatio aliquot errorum Strabonis. In bibliotheca item Oxoniensi descriptio Græcie, uti & Peloponnesi: hæc ex Ptolemaeo; illa ex Strabone; ut non multum juvare eum possit, qui jam fontes adierit.

Præter istos alii etiam non pauci inediti adservantur in bibliothecis publicis, ac privatis. In his etiam est Agathemerus Orthonis hypotyposis Geographie: quam, inter alios hujus argumenti scriptores, filius Isaacus Vossius juris faciet publici. De Græcis hactenus.

8. §. E Latinis prestantissimi sunt Pomponius Mela, & Plinius Secundus.

Cicero ad Att. lib. 11 epist. vi refert, se aliquando meditatum esse opus Geographicum. Nec deperisse propterea putandum. Nam addit ipse, se postea difficultate deterritum. Ex iis igitur, quos habemus, antiquissimi sunt Mela, & Plinius: quorum ille Claudi Caesaris, hic Vespasiani temporibus floruit.

9. §. His adde C. Iulium Solinum:

Qui prius inscriperat opus suum, *Collectanea rerum memorabilium*: unde à veteribus saepè adducitur *Solinum Collectanea*, vel *in Memoriis*. Sed secundum editioni hunc titulum fecit: *C. Iulii Solini Polyhistor ab ipso editus, & recognitus*. Vnde & à Prisciano *Solinus in Polyhistor* flore citatur. Etsi verò accuratè quando vixerit, dicere non possumus: non multo tamen Plinio junior fuit. At eos valida ratio fugit, qui non è Plinio Solinum, sed Plinio è Solino, pleraque exscriptis arbitrantur. Quos eo etiam maximus Salmatius \* refellit, quod Plinus † quidem scribat: *Proximo bello, quod cum Oceanibus gestere initis Vespasiani imperatoris: apud Solinum † vero fit: Vespasiano principe, bello, quod cum Oceanibus gestum*. Videmus, ut Plinius proximum dicat, quia verè proximum erat, cùm ea Plinius commentaretur: at Solinus, quia posterior, necesse habuit vocabulum proximus omittere.

10. §. Iunge his, que Vibius Sequester ad Virgilianum filium scripsit de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum, & gentium; que poëtis memorantur.

Primus Romæ edidit Mazochius, inde Venetiis Aldus. Postea ex duobus Missis emendavit Iotias Simlerus. Plutinum huic scriptori debet Ioannes Boccacius: qui ante annos circiter trecentos libellum & ipse reliquit, hac inscriptione \*: *Iannis Boccacii de Certaldo de montibus, fibus, fontibus, lacibus, fluminibus, stagnis, seu paludibus, de nemoribus maris*. Nec inutile sit eos scriptores conferre. Cum verò passim exscribas Vibium; mirum sane ejus nulquam mentionem facere. Tantum enim signat his verbis: *secundum quendam, quidam, ut fluct aliquibus, ali vero dicunt, ut quidam dicunt*. Ut merito hac parte candorem viri requiramus. Vitiosis codicibus decepti sunt, qui *Equesrem* † pugnare, vocata; ut Vincentius Mirabeila Syracusanus †. At recte *Vicum Secundum* <sup>est</sup> <sup>ann. 15. 9.</sup> muncupat Ianus Parrhasius ad Claudiam lib. 11 †.

ii. §. Item adde Martianum Capellam, & Isidorum Hispanensem.

Illum lib. vi de nuptiis Philologiae: hunc Originum lib. xiii, xiv, xv. Martianum primus in lucem protraxit Thadæus Vgoletus Italus: pluraque de eo dixi lib. iii de Historicis Latinis: ubi de eo aëtum, propter geographica, quæ omnigenæ historiæ pars sunt. De Isidoro autem Hispanensi vidimus ejusdem operis lib. ii. cap. xxv.

12. §. Mitto de interpretibus Latinis Dionysiane etenimq[ue]as; quales Festus Avienus, & Priscianus Cœsariensis.

Quorum prior Macrobius æqualis fuit; alter Cassiodoro: ut toto seculo distent. Sed Avienus præterea jambis dedit ora maritimæ descriptionem. Verum superet tantummodo fragmentum à Gadibus, Massiliam usque.

13. §. Præterea conductit Provinciarum Romanarum libellus.

Quem per Oporinum, Basileensem typographum, anno c. 1510 11 Antonius Schonhovius Belga primus in lucem dedit, ac Eutropio, & Notitiæ Imperii, subjunxit. At annis prope L p[ro]st ex membranis Caroli Langii, (quem Belgarum doctissimum Liptias dicebat) auctiis, & \* 1600. emendatiis, Coloniae edendum curavit Andreas Schottus\*, & Antonii Itinerario subjecit.

14. §. Adhuc utilis Notitia utrinque Imperii.

Sive libelli duo, qui continent dignitates, administrationesque, tam civiles, quam militares, in Oriente pariter, & Occidente. Vide eos fallit opinio, qui auctorem putarunt Monachum Fuldensem. Multa enim ostendunt, scriptos esse temporibus Theodosii junioris: unde nec Alciatus dubitat in Parergis suis vocare, *Breviarium Theodosii In-*  
<sup>i lib. 5.</sup> <sub>op. 13.</sub> *nioris.* Ambiguum, utrum ex libriss, an ingenio. Primus, Casiodri hortatu, Antonius Schonhovius cum Eutropio edi curavit ab Oporino; ac provinciarum Romanarum libellum, de quo dxi, à te integrati restitutum, adjecit. Postea hancce Imperii Notitiam cum duobus Mssis contulit, ac multò emendatiis edidit, uberrimo etiam commentario illustravit, Guidus Pancirolus I. C. & in Patavino Gymnasio, dum viveret, Iuris interpres.

15. §. Nee

## 15. §. Nec inutilis liber B. Hieronymo tributus, qui inscribitur de locis Sanctis.

Nec tamen esse Sancti illius Patris, arguit, quod, ubi de Smyrna agitur, haec verba legere fit : *Hieronymus in libris Hebraeorum nominatur ponit Smyrnam, & interpretatur Aniram.* Dubitat igitur de eo Erasmus : rejicit vero Sextus Senensis Sancte Bibliothecae lib. iv, verbo, *Hieronymus;* & Marianus Victorius in argumento, quod premitur tractatu de Act. Apost. item Formellus in Annalibus ad annum mundi, M M CXLII\*. \* pp. 173 Bede potius fuerit, in ejus libris invenias.

## 16. §. Ad Geographiam etiam pertinent Itineraria : ut illud Antonino Augusto adscriptum ; sive id sit Iuli Oratori, sive Ethici Iteri.

In nonnullis inscribitur Antonio Augusto ; quo nomine quidam est inter *Geographos* scriptores. In codice alio, ex biblioteca S. Galli, dicitur Antonii Augustalis. Iulio Oratori in aliis tributur libris ; in quibus exaratum : *Italo, Oratori suriusque artis.* Puto, signari *Agathiae* & *Ethici Iteri*, ut Agathias Scholasticus in Epigrammatis appellat : videbatur & illam, que proprie magis Oratoria ; & alteram, que Poëtica dicitur. In codice Thuaneo haec ad calcem operis sunt adjecta : *Hæc omnia in descriptione recta Orthographie translatis, publice rei consulens, Iulius Honoriu, magister peritus; atque, sine aliquâ dubitacione, do. iussimus, Iulo nolente, ac subterfugiente, nostra parvitas protulit, divulgavit, & publice scionte obiit.* Este autem id opus Iuli Oratori, valde est verisimile, ob verba illa Cassiodori de Divinis lectionibus cap. xxv, quod est de Cosmographis legendis : *Libellum Iuli Oratori, quem etiam reliqui, studiosè hære festinet : qui maria, insulas, montes famosos, provincias, civitates, lammata gentes, in quadriforis distinctione complexus est : ut penem huius libro ipsi desit, quod ad Cosmographi notitiam cognoscitur pertinere.* Non decuere tamen, qui propterea conjectarent, esse id opus Iuli Celsaris : cui tributum fuisse hoc opusculum, liquet ex Cispiniano ; ut & Felice Malcoleo in dialogo de Nobilitate. Ad hunc errorem præverere MSS. Codd. quinie ordinatur : INCIPIT CHRONICA IULII CÆSARIS. Alii Ethico Itero adjudicant, partim quia & Ethici, & Antonini, ut vocant, itinerario eadem premittitur prefatio : partim quoniam Flodoardus (qui ante annos vixit prope octingentos) in Rhenensem Pontificium historiæ lib. i, cap. i, ex Ethici Cosmographia adducit, quæ in Antonini hoc Itinerario legantur. Sanè, quin vel Iuli Oratori, vel Ethici

Æthici sit, minimè dubitandum: quandoquidem Antoniorum esse non possit; ne illius quidem, qui Cæsaris Severi filius fuit; cum mentio in Itinerario hoc fiat Maximianopolis, Constantinopolis, Consti-  
tinæ, & aliarum urbiū, quæ longe post Cæsarum illorum tempora  
dēnum exstructæ sint, vel hoc nomen adeptæ.

17. §. Nec laude suâ frustrandum est itinerarium à Burdigala ad Hierosolymam usque, & ab Heraclea per Aulonam, & Romam,  
Mediolanum usque.

Quod scriptum videtur temporibus Constantini M. ut mentio Con-  
sulis Xenophili, & Regis Annibaliani, etiam Ammiano, qui paulo po-  
sterior, memorati, non obscurè arguit. Instituitur id per civitates,  
vicos, mansiones, & mutationes: quomodo vocarunt, quando veredō-  
rum, jumentorumque fieret commutatio. Primus è recto codice in lu-  
cem edidit Petrus Pithœus, vir præclarè de universâ meritus antiquitate.

18. §. Supereft quoque itinerarium Rutilii Claudi, sive Nama-  
tiani, sive Minutiani.

Qui sub Honorio Cæsare claruit, poëta disertus; sed Christiano no-  
mini infestissimus. Mitto itineraria alia: ut illud B. Antonini Martyris,  
à Claudio Menardo ante annos sex septem editum: quod aliquantò ante  
Bedæ tempora scriptum fuit. Item itinerarium Benjamini Tudelenis,  
scriptoris Hebræi: quod primus Latine reddidit Ben. Arias Montanus  
Hispalensis; ac post eum vir Nob. Constantinus L' Empereur, vetus in  
Leideni Academia collega, vir de literis Hebræis præclarè merens; qui  
& Benjamino huic notas addidit pereruditas.

19. §. Nec aspernandi Arabes, præfertim Abilhedæs.

Quem principem Cosmographum vocare non dubitat Postellus in  
præfatione Cosmographiæ fuit ad Cæsarem Ferdinandum. Præclaræ  
etiam ante annos quingentos Orbem in viii climata divisum descriptit  
Nubiensis ille, quem ex Arabicо Latinum fecere Gabriel Siomita, &  
Iohannes Helfronita.

20. §. At immanc quantum lucis accedit ex tabulis. Quæ jam  
antiquis temporibus obtinueré apud Græcos.

Anaximandrum primum fuisse, qui ejusmodi tabulam exhiberet,  
diximus

diximus antea. Herodotus lib. v refert, ut Aristagoras, Histiaei gener, ac confobrinus, Meliti tyranus, Spartam venerit, ἔχων κάλλες πονηρά, εὐ τῷ γῆς ἀντρὸς οὐδὲν πεποιηται, καὶ γράφει τὰ πάτερα, καὶ τὰς πάτερας αρεανθέντας τελεῖται, in qua inaccessa erat totius terrae ambitus, mareque universum, ac flumina omnia. Apud Ælianum lib. 111 Var. Histor. cap. xxv 111 legimus, ut Socrates Alcibiadi agri suis ad Vrbem tumido, tabulam monstrarit, atque in eo agros eos puserit ostendi: cumque hoc non posse appareret, his eum affatus sit verbis: Εἰ μή τοις αἴτα φύσεις, οὐτε σδίμης τῷ γῆς εἰσι; Ιτι τε εἴσοις, ότιον μηδέ τι τοῦ γηγενοῦτο; in quibus terrae ambitus describogetur, in inferiore portico reponi. Non persequar ceteros. Solam, quia de Græcis nunc loquimur, illud addam: etiūt huius in Græcia descriptio Sophiano debeat, Ioannem tamen Lautenbergum, Soranum apud Dinos Academiæ Professorem eruditissimum longe eum a tergo reliquisse: quod propter diem planam orbi fiet e tot, quas inclita Blauiana officina dabit, Græcie tabulis accuratissimi.

21. §. Atque uti apud Græcos, ita etiam apud Romanos, obtinuere tabule istiusmodi, quibus terre, ac maria, describerentur.

Vnde Propertius lib. iv eleg. 111:

*Cogor & ē tabula pīles ediscere mundos.*

Varro lib. I de R. R. cap. 11: Offendi ibi C. Fundinium, sacerdotum meum, & C. Granum, equitem R. Socraticum, & P. Agriculum publicanum, spectantes in pariete pīlam Italiām. Vitruvius lib. viii Architecturæ cap. 11: Hac sic fieri, testimonio posunt esse capita sumnum, quo orbis terrarum colore graphus pīla inventantur. Adhuc orbem etiūt terrarum spectaculum libi proposuisse Cesar Augustus, & M. Agrippa, magnū vir diligentia, itaque hoc opere curā: ut refert Plinius l. 111 c. 11. Metius Pomponianus depictum orbem terre in membranis ex cūncerebat: ut ait Tranquillus \*: sed hoc in caussis eius interimendi arripuit Domitianus. • in Pomp. 111. 111. inde conjectans, cum orbis imperium affectare: præterim cūm & imperatoriam habere genetin ferretur, & circumferret etiam ex Livo conciones regum, ac ducum: qualis nempe id faceret, quod sibi ad imperatoriam dignitatem magnopere essent usui futuræ. L. Annius Florus, qui & Seneca, in præfatione Histor. Faciam quod solent, qui surarum suis pingunt; in brevi quasi tabella, totam ejus imaginem amplectar.

22. §. *Omnium verò tabularum veterum, que exstant, antiquissima sunt, tum iste secundum Ptolomeum descripte ab Agathodemone Grammatico, ad quem Isidori Pelusiotae exstant epistole aliquot: tum illae, nouissimis eruditissimis profuturæ, è Radi Peutingeri, patricii Augustani, bibliotheca, à M. Velsero, publici juris facta, segmentis octonis.*

Priora duo segmenta eruditis notis idem illustravit Velserus, Diuimvir.

23. §. Nec tabule solum profunt Grammaticae Exegetice, sive intelligentis melius scriptoribus; verum & peregrinantibus, tum privata ob negotia, tum publica: ut proconsulibus, & praetoribus, in provinciam ituris: nunc, & olim, imperatoribus, in castris metandis.

Quippe, ut Vegetius ait lib. IIII cap. vi, *Qui rem militarem studio-sius didicerunt, afferunt, plura in itineribus, quam in ipsa acie, pericula solere contingere. Nam in conflictu armati sunt omnes, & hostem comitiss vident, & ad pugnandum animo veniunt preparati. In itinere minus armatus, min-nusque attentus est miles; &, superveniente impetu, vel fraude, repente turbatur. Ac mox subjungit: Ideoque itinerarya omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissimè debet habere prescripta: ita ut locorum intervalla, non solum passuum numero, sed etiam qualitates perdiscat: compenata, dicer-ticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret, usque tò, ut scieriores duces itinerarya provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum ad-notata, sed etiam pīcta habuisse firmentur; ut non solum conflito mentis, re-rium adspēctū oculorum, viam profecturis eligerent. Pluraque inibi. Sed & B. Ambrosius quadam in Psalm. C XVIII, Serm. V.*

24. §. In hismodi antiqui orbis tabulis multum resert, ut illis attingatur, quae posteriorum curiemendatius, vel auctius prodeunt.

Iraque Julianus imperator non tam gaudet de transfinissâ tibi tabulâ  
quapiam, quam quod exactior foret, & accurior prioribus. Sic enim  
scribit posteriori ad Alypium epistolâ: *H̄d̄r̄ μῆτ̄ ἐν ἡχεῖ ἀριθμῷ τοῦ θεοῦ τῶν γεωγραφίαν ὅτε αἰτήσεις εἰσὶ. εἴ μη ἵστατο δέ τοι τὸ δέλτων εἰδεῖσθαι τὸ καθέτο σὸν πνάκιον δοκεῖτο. ἔτι μῆτ̄ τὸ κατὰ τὴν Αἰγαίου πατέρα τοῦ θεοῦ Σεβαστοῦ, καὶ κατεργάσασα εὐτὸν σερδεῖς τὴν ιάμβεστ.* *Iam eram morbo libe-  
ratius, cum Geographiam misisti; non tam propter ea minus grata mihi fuit  
tabella.*

*tabella abs te missa. Sunt enim in ea descriptiones meliores, quām antehuc; & jambis exornasti.*

25. §. Nec sufficit scire vetera gentium, vel urbium, nomina, ac situs: sed etiam discere convenient, que hodie obtinent.

Omnia enim mutantur. Vnde Sulpicius ad Ciceronem lib. iv. epist. Cic. *Quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata, & diruta, ante oculos jacent. Nota & Pythagoræ de Athenis, ac Thebis, querela apud Ovidium xv Met. Sed clare imprimis Seneca ad Albinum: Affidius humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in accessionem validioris conversis, eriuntur, &c.*

26. §. *Præterea etiam cognoscendæ sunt regiones ille, que incognite erant antiquis. Olim enim tres solum continentæ note erant: Europa, & hac major, Africa, maximisque omnium Asia. Imò ne extrema quidem, vel Septentrionis, vel Africæ, vel Asie, quoniam innoverant. Præterea etorum vero accessit notitiam Americe, sive Indie Occidentalis; tum Magellanice, sive terre Australis. Quarum prior à Christophoro Columbo repertus anno cœcūcccc xci: ac quinquennio post anno cœcūcccc xxvii feliciter detellata ab Americo l'espuccio Florentino, à quo & Americæ nomen accepit. Posterior vero sic dicta à Ferdinandō Magellano, qui anno cœcūcccc xxii, soluens petens insulæ, eis ausus fuit terras accedere; atque ita Magellanice nomen dedit.*

Multis interim viris eruditis non videntur antiqui penitus ignorasse duas illas continentæ. Nam ad Americanam censem pertinere, que de Atlantide tradit Plato: queque Aristoteles refert de Phœnicum Gaditanorum ad ignotas regiones profectio[n]e; ac navigatione Carthaginensium ad Insulam magnam, & desertam; sed fertilem. Item Autralem spectare judicant, que de itinere Iamboli legere est apud Diodorun Siculum lib. xi. Etiam Strabo lib. ii. verisimile esse ait, alias esse terras præter tum agnitas. Ac in primis illustrè est illud apud Festum Avienum in descriptione oræ maritimæ: postquam de Albionis insula, & Hiberniâ, egisset:

*Tariffusque in terminos Oestrumnidum*

*Nego-*

\* Coloni  
repositor; pro  
quo in Pz-  
thana episo-  
gramma-  
tum, &  
poemato-  
rum, editio-  
ne est colo-  
nis; verfa  
& sententia  
rectimante.

*Negotiandi mos erat: Carthaginis  
Etiam coloni\*, & vulgus inter Herculis  
Agitans columnas, hac adibant æquora:  
Quæ Himilco Penins mensibus vix quattuor,  
Vi ipse femit rem probâsse rettulit,  
Enavigantem posse transmitti afferit.  
Hic nullalate flabra propellant ratem:  
Sic segnis humor æquoris pigris flupet.  
Adjicit & illud: plurimum inter gurgites  
Extare fucum, & saxe virgulti vice  
Retinere puppim. Dicit hic nihilominus,  
Non in profundum terga dimitti maris,  
Parvoque aquarum vix supertexi solus:  
Obire semper huc, & huc, ponti feras  
Navigia lenti, & linguae repentina  
Internatare bellus.*

De his pluribus dicerem, si paucis putarem me posse defungi. Sed,  
et, Oœ, singula alibi suis expendam.

27. §. *Ex junioribus, qui orbem totum descripperint, præcipue ex-  
cellit Gerardus Mercator.*

Laudabilis quidem opera olim Æneæ Sylvii, Raphaëlis Volaterrani, Bilibaldi Pircheimeri, Sebastiani Munsteri, Ioachimi Vadiani, atque aliorum. Sed eò hos taceo, quia juniorum industria pleraque omnia accuratiùs excusit. Atque idem dixerò de Brocardo monacho, Beato Rhenano, Iacobo Ziglero, Leandro Alberto, atque aliis, qui solem regionem aliquam descripsere. Nulli vero juniorum plus geographia, quam, summo viro, Gerardo Mercatori, debet. Proxima dia Ortelius; quia tabulas ex historia omnigena utiliter illustravit; matheseos interim scientiâ neutiquam cum Mercatore conferendus. Utinam vero superesset ornatusissimus urbis hujus Amstelodamensis civis, Guilielmus Blaeuw, magni, & Nobilissimi Viri Tychonis Brahei discipulas, vir magnifice, accuratis suis tabulis de arte hac, doctorum omnium judicio, promeritus: cuius ego non possum non cum dolore meminisse, quando cogito, quantum in eo viro hæc disciplina amiserit. Bene tamen est, quod reliquerit dignum se filium Ioannem Blaeuw, iurisconsultam quidem, paternis interim insitentem vestigis; nec typographicâ modo arte, sed expolienda etiam geographiâ tum veteri, tum novâ, præclare admodum de studiis merentem.

## C A P V T X I I .

## DE CHRONOLOGIA.

2. §. **C**hronologia sequitur, que tempora numerat. Hec ut multis multorum libris est tractata; ita necdum est plenè reperta.

Olim jam Plutarchus in Solone est conquestus, quām intricata esset ratiocinatio illa temporum in veteribus Græcorum rebus: quo. l. nec minus de Hebreorum temporibus dicere possumus; ut dilerepantes summorum etiam virorum sententiae ostendunt. In quibus & ipsi diffident Græci Bibliorum codices ab Hebreis. Sed Hebreos potius sequendos esse, vix hodie ambigit quisquam. Non alpernanda de hocce discrimine in Nicephori Chronogiam Camerarius annotavit. Sed accuratius de te tota recentiores Chronologi; tique magno numero.

2. §. *Plānē autem scire Chronogam necesse est; tum diversam annorum rationem apud gentes varias; tum ἐποχῆς, sive aerae diversitatem.*

Nam Hebrei numerant ab orbis initio; Græci per Olympiades; Romani ab Urbe conditâ; posteriores ab Diocletiano usque ad tempora Iustiniani; Hispani ab Augusti anno xliii usque ad Ferdinandi Catholici tempora; Christiani Græci, ac Romani, per inductiones ab anno Christi cccxiij, quo Maxentius est a Constantino victus, & pax data Ecclesiis. Sed receptissima est Christianis confuetudo numerandi à Christo nato, vel circumcidit: quæ aera coepit à Dionylio Exigno, abbatे Romano. Saraceni vero orduntur à fuga Mahometi; quæ incidit in annum Christi 15 c xxiiij.

3. §. *Ex Græcorum antiquis, in temporum ratione, juvabit preci-  
pue Eusebius Pamphili, Cesariensis episcopus. Qui ab orbe con-  
ditio Chronicon reliquit usque ad vicennalia Constantini, sive  
annum Christi ccc xxvi.*

Permulta hausit ex Julio Africano; qui primus Christianorum de temporibus scriptit; eaque deduxit usque ad an. Christi cccx. Eusebium vero exscriptit, affidius ejus obtrectator Georgius Syncellus; qui

# DE PHILOLOGIA.

66

temporibus licet Karoii M. claruerit : morte tamen præventus, ne qui-  
dem, quò usque Eusebius, Chronicon perduxit. Definit enim in Maxi-  
miani, & Maximini imperio.

4. §. *Ex Latinis non parum B. Hieronymo debemus ; qui & Eu-  
sebium Latinè edidit, & ei ex Tranquillo, & aliis, multa insfe-  
runt, & præterea cum continuavit usque ad ann. cccc LXXXIX.*

Interim est, ubi Eusebium temporum ratio figerit ; aut B. Hierony-  
mus, variis distentus, non aptè satis Eusebii mentem expresserit. Ub-  
ista, & alia, proderit utrumque legere cum animadversionibus Scaligeri,  
nunquam satis laudatis : non quasi ignorent & illi quedam excidisse.  
Sed hoc innumeris bonis facile compensat. Nec humana timi imbe-  
cillitas, ut quilibet tam grande quid studeat, nec alicubi humanum  
quid patiatur. Quare qui in eo castigando tam se acerbos præbent,  
ut eunque non pauca melius dicant ; tamen negare non debent, plati-  
num se illi debere. Imò quodammodo oblivisci videntur, se etiam ho-  
mines esse, ac periculum esse à talionis lege. Denique hoc pacto se a feri-  
bendo detergere ingenia, ad bene merendum de studiis, nata. Præterea  
& opera sit addere Eusebii Chronico Arnoldi Pontaci, Episcopi Vasa-  
tentis, castigationes, & notas : quæ, animadversionibus Scaligeri pene  
jam excusis, in lucem prodierunt.

5. §. *Hieronymum continuavit B. Propper, usque ad annum Chr.  
cccc XLVI. Idacius, usque ad ann. cccc LXXVII, sive  
secundum Anthemii Imper. consulatum. Marcellinus Comes,  
usque ad annum ID XXXIV. Victor Tunnunensis, usque ad  
ann. ID LXV; quo Iustinius Iustinius junior succedit. Ioannes,  
Abbas monasterii Etclariensis, usque ad ann. ID XCIII.*

Quos omnes habes in Temporum Thesauro, quem publici juris fecit  
Iosephus Scaliger. Sed Idacium cum fastis contularibus, item Marcelli-  
num Comitem, integriores postea, auctioresque, edidit Iac. Sirmondus,  
vir de antiquitate, & hoc nomine, & aliis majoribus, optime meritus.

6. §. *E junioribus laudari solent Matthæus Ecroaldus, Guil. Gene-  
brardus, Gerardus Mercator, Ioannes Funcius, Abramus Eu-  
cholerus, & complures ali. Sed proximis his anni magna ac-  
cessio facta est, cum ab aliis, tum maxime Iosepho Scaligero, &  
Dionyso*

Dionysio Petavio : et si sic quoque multa sint intricata, & obscuria, aliorumque industrie relieta.

Cujus inter alias ea est causa, quod scientia haec in multis dependeat a cœli observatione : at calculus Astronomicus multas adhuc habeat difficultates. Interea contentus erit puer Indice Bucholceri, vel Chronicis Sethi Calvisii, ac parte eâ, quam exhibet Petavius. Sed de Chronologia in partibus Mathelios iterum dicendum erit. Quare hic sifto.

## C A P V T X I I I.

## D E G E N E A L O G I I S.

1. §. **S**equitur ἡ γενεαλογία. Hoc explicat familiias eorum, qui in imperio fuere.

Imò quandoque etiam eorum, qui præclarè de studiis merentur.

2. §. Nec sit is hujus partis ex eo consfficitur, quod historie potissimum sunt de personis : persone autem familiis distinguuntur.

Vnde liquet, non posse historias absque hac parte intelligi. Accedit & altera utilitas. Nam iis, qui rebus gestis, vel etiam doctrinatum studiis, devinxere sibi alios, debetur honos suus : honos autem iste maximus est, ut conservetur eorum memoria. Eaque res etiam alios deinceps incitat ad pariter bene merendum de Republica.

3. §. Itaque ex veteribus Gr.ecorim multi in hoc arguento defudarunt. Sed magnam partem deperierunt : ut Acuslaus Argivus, Hecatus, Pherecydes Atheniensis, Simonides Ceus, Suidas, atque alii.

Ex quibus Acuslaus Argivus tempore Cambyfis, vel circiter, claruit. Enī τέλι γενεαλογία citat eum Apollonii scholastes in iv. Hecatus ἐν β' γενεαλογίᾳ laudatur Arpocratioi, voce Αθηναῖος. Librum tūtū advocat Athenaeus lib. iv. Quartum Stephanus in αἴσθηται, ἀγρόποτος, Εὐφώνιος, μύχασι, & alibi sepe. Epimenides duos γενεαλογία libros scriptit ; teste Laërtio. Cui & Pherecydes Atheniensis σ' γενεαλογίᾳ memoratur, à Syrio, Pythagoræ magistro, diversus. Simonides Ceus, cogno-

cognomine Melicertes, tres de genealogiis libros condidit, Suidā auctore. Imò & Suidam *ἐν γενεαλογίᾳ* adducit Stephanus, voce Αὐρηλίῳ. Sed qui Stephani tempora sciat, facile videt, diversum esse ab eo, cuius hodiéque lexicon habemus: cùm hic denū paulò ante annum claruerit c. 150: at Stephanus ante tempora vixerit Iustiniani imperatoris; quo regnante, eum Hermolaus Byzantius in epitome rededit. Alios etiam in opere de Historicis Græcis memoravimus.

4. §. *Ex superstitionibus multū in Deorum, & Heroum genealogia, juvabit bibliotheca Apollodori.*

Ex quo, fabulis præteritis, historia generis, ac temporis, nullo negotio fiat.

5. §. *Ex Romanis precipuè industria cluxit T. Pomponii Attici.*

Testis in ejus vita Cornelius Nepos; ubi ait, antiquitatem totam ab eo expositam volumine illo, quo magistratus ornavit. Atque, inquit, quod difficillimum fuit, sic familiarium originem subtexxit, ut ex eo clavorum virorum imagines possimus cognoscere. Hinc subiungit: Fecit hoc idem separatim in aliis libris; ut, M. Brutirogatu, Iuniam familiam à stirpe ad hanc etatem ordine enumeraverit; notans, qui a quoque ortus, quos honores, quibusque temporibus cœpisset. Pari modo Marcelli Claudi de Macellorum, Scipionis, Cornelii, & Fabii Maximi, Fabiorum, & Emiliorum. Quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clavorum virorum. Ex hoc opere etiam fuisse videntur illa de gente Papiria; quæ signat Cicero lib. ix epist. ad Papirium Pætum.

6. §. *Etiam M. Valerius Messalla, jam senex, de Romanis familias librum fecit.*

Testis Plinius: qui & quædam inde non semel adducit. Sed qui hodie Messallæ tribuitur liber, de progenie Augusti Cæsaris, suppositius est. Vide de Messalla hoc nostram Latinorum Historicorum historiam lib. x, cap. xviii.

7. §. *Genealogiarum etiam codicem reliquit C. Julius Ithginus.*

Ipse auctor in Poëticō Astronomico: quo loco de Perseo loquitur. Græcæ, inquit, fuerunt Gorgonum custodes: de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus.

8. §. *Nostra.*

8. §. *Nostrā etate hanc historie partem praeclarè excoluit Reinerus Reiniccius Steinheimius.*

Qui & ipse, non contentus familias nudi delineasse, etiam tempora, quibus floruerit singuli, addit; & quæ præcipue gesserint, exponit: autores etiam apponit, unde plenius omissa hauriantur.

9. §. *De Romanis quoque familiis pulchrè tractarunt Antonius Augustinus, & Fulvius Vrbinus: uti & Richardus Streinius.*

Qui Baro Austriacus fuit, gratiâque ob eruditionem valuit apud Imperatorem Maximilianum II. Praeterea Ioannes Glandorpius commentarios edidit de familia Antoniâ, & Iuliâ. Iuvabit quoque ejus Historiæ Romanæ Onomasticon, opus licet posthumum.

10. §. *Nec honore suo fraudindus est Vibio Emmius; qui Chronologico operi alterum adtexuit Genealogicum.*

Eo tabulis complexus familias gentis Hebrææ, variarum in Oriente, & Africâ; Græcorum item, & Romanorum imperatorum, tam Orientis, quam Occidentis; regum adhac Hierosolymæ, post urbem à Christianis captam; regumque Galliæ ex Saxonibus. Atque hæc de historia γεωγραφικῇ, ιστορολογικῇ, & γενεalogia.

## C A P V T X I V .

### DE HISTORIA PRAGMATICÀ, sive propriè dictâ.

1. §. **H**istoria περιγραφὴ supereſt; que vel vera eſt; ut  
Tucydide, ac Livii: vel ficta; qualis epicorum, atque etiam  
Xenophontis in Cyri παιδείᾳ: vel media, ac quaſi vera; ut in  
comœdiis, & mimis.

Ita distribuit Asclepiades apud Empiricum.

2. §. *Historia vera dividitur in sacra.m, civilem, & literariam.*  
*Sacra, vel verè ejusmodi eſt, vel errore hominum talis censetur.*  
*Vera sacra, ratione auctoris, distribuitur in divinam, & huma-*

# DE PHILOLOGIA.

70

*nam. Divina, sive divinitus inspirata, Scriptur.e sacre canone continetur. Estque exarata partim à Moše, & Prophetis; partim ab Apostolis, & Euangelistis. Humana est, que de rebus Ecclesiæ ab aliis Ecclesiasticis viris est perscripta. Accertatione argumenti diffiscitur in Iudaicam, & Christianam. Quanquam verò humana hec neutiquam ejusdem est auctoritatis, ac divina: maximos tamen & ipsa usus habet.*

Nam, ut de Christiana solùria dicam; primum universè ex ea discimus conversionem gentium, successionem Episcoporum in præcipuis Ecclesiis, & conservationem Euangeli adversus tyrannos, & hereticos: quæ providentiam Dei in conservanda Ecclesiæ ostendunt, notisque de veritate Euangeli mirè confirmant. Deinde particulatim nos docent, quæ pertinent ad doctrinam Christianam, & vitam informandam, & Ecclesiæ politiam. Ad doctrinam; quia videmus, quid ubique, & ab omnibus, creditum sit. Inque controversiis, quid senserint plures, aut doctiores, meliorésque. Item ubi alii alios tulerint, ubi non item. Ratione vitae; quia in sanctorum vitis pulcherrima habemus virtutum omnium exempla; ac præcipue constantiæ in martyribus. Ratione politiæ; quia videre inde est, quatenus olim forma eadem fuerit regiminis in omnibus Ecclesiis; quatenus item diversis, aut temporibus, aut locis, fuerit variatum. Hæc de historia verè sacrâ.

3. §. Non re, sed hominum opinione sacra est, que ad religionem pertinet gentilem, aut Muhamedianam. Quam & ipsam cognoscere opere est.

Si non ob aliud; saltem, ut, falsam religionem solidè refellendo, alios eā infectos ad Christianam religionem facilius adducamus. Hoc liquet ex Tatiano, Clemente, Tertulliano, Origene, Arnobio, Lactatio, & aliis, qui adversus nationes scripserunt.

4. §. Historia civilis comprehendit antiquitates, memorias, & historiam justam. Antiquitates sunt reliquie antiqui temporis, tabellis aliquibus naufragii non absimiles.

Vt sint quasi picturâ deformata. Sed laxius antiquitatis nomine usi fuere Iosephus, & Dionysius.

5. §. Memo-

5. §. A memoria sunt initia legitime historie. Nam actiones quidem, & eventus, ordine suo exponunt; sed occasiones, consilia, orationes, ac similia omittuntur.

Huiusmodi historiae sunt non epitome solum; sed & qui propriæ dicuntur commentarii: suntque similes picturæ inchoatiæ. At Cæsar est *commentarius* nomine abusus, cum suos sic libros inscripsit.

6. §. Historia justa addit personarum characterem, consiliorum trepidationem, pretextus, imperii arcana.

Vt apud Thucydidem, Sallustium, aliosque, videmus.

7. §. Ad Historiam justam pertinent tum annales; que portionem temporis complectuntur: tum vita; que personam aliquam describunt: tum relationes; que illustrem aliquam actionem, sive rem gestam representant.

Annalium exemplum Tacitus dabit; vitarum, Plutarchus; relationis, Xenophon in expeditione Cyri.

8. §. Historia literaria, sive scholastica, est de viris doctis, eorum scriptis, & scientiarum incrementis. Item de artium inventoriis, ex quoque progressu.

Qua in historia cæteris preivit Xenophon. Nam iστορία φιλοσοφών περὶ Κέρκυρας, ut in vita ejus Laertius monet, atque ex eo Suidas: Σωκράτης, Γένεσις, Αἰγαῖος Θρησκεία, φιλόσοφος Σωκράτης, &c. περὶ Κέρκυρας. <sup>Xenop.</sup> Quod opus utinam extaret. Nisi hoc folium volucere, scribendo de vita, ac morte Socratis, præsule omnibus, qui in scholastica historiâ se occuparunt. Quales postea Socion in libris Αρχεγίστης, & aliis, qui non extant.

9. §. Ex Historicis itis, qui supersunt, hac de parte habemus, Laertium, Philostratum, Eunapium, Hesychium libyfrem, Suidam: atque è Latinis Ciceronem de claris Oratoribus, & Suetonium de illustribus Grammaticis, ac Rhetoribus, & aliquet poëtis.

Propè etiam omnes hic pertinent eorum, qui de illustribus Ecclesiæ viris scriptere: ut fecerunt B. Hieronymus, Gennadius Maltilentis,

*Iudiciorum*

# DE PHILOLOGIA.

72 Isidorus Hispalensis, Hildephonius Tolentanus, Sigebertus, Honorius Augustodunensis, & Henricus de Gandavo.

**10. §. E junioribus hoc refer Polydorum *Virgilium*, & *Lilium Gyraldum* de poëtis : queque de Rhetoribus antiquis, ac impressis de *Historicis Latinis*, & *Gracis*, imò & poëtis, scripsimus.**

Etiam inter Ecclesiasticos scriptores multi hoc pertinent. Vide bibliothecam Trithemii, ac Simleri. Item varios de vitis Theologorum, Iurisconsultorum, ac Medicorum.

**11. §. Aliter autem historiam tractat Philologus ; aliter Philosophus. Hic prudentiam civitem sibi proponit ; eoque attendit ad causas singulas, & in modo etiam, quo quid gestum, minutatim singula considerat. At Grammatico satis ferè est, evenitum nōesse : saltem non ultrà requirit, quam ad intelligendos scriptores, maximèque poëtas, opus est. Nec tamen eorum similes esse oportet, qui tantummodo historiam Romanam degustant : sed circumferendus est animus per omne ævum, ac gentes prope omnes.**

At nunc plerisque sufficit, si sciant aliquid de Romulo, Camillo, Scipione, Sylla, Pompejo, Cæsare, &c. vel ulterius si pergant, tangunt aliquid de Miltiade, Themistocle, Aristide, &c. At per omnia eundum loca, ac tempora. Primum sciendæ res Hebreorum, ab orbe condito, usque ad excidium Hierosolymæ. Iungendæ cum his res Allyiorum, Medorum, Persarum, Ægyptiorum. Tum Græcorum res descendæ ; maximè Atheniensium, Spartanorum, Macedonum, & successorum Alexandri Magni. Exinde Romanorum gesta, usque ad Momyllum Augustulum. Denique etiam gentium, quæ partem obtinenter imperii Romani ; idque ad nostra usque tempora. Hoc vocare possumus *istoria orbis historicum* ; quomodo κόσμος nomine historias suas inscripsit Dionysius Milesius ; ut testis est Suidas, & Pindari Scholia festes ad Od. IV Isthm. Arduum hoc dicat aliquis. Mihī verò non videtur res operosa. Paucorum enim menium negotium est. Multum enim jam in universitatis historiâ profecit ; qui animo fit complexus historiam sacram Sulpicii Severi, Iustinianam Trogi Epitomen, Florum cum Aurelio Victore, & duos tres similes libellos. Quærat aliquis, quid dicam de Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Diodoro, Dionylio, Livio, Plutarcho, aliis? Evidem non impedio, quò minus initio, unus alter

alter eorum, præsertim, qui *καθηλική* historiam tractant, legantur at-tentè : sed continuatam cunctorum lectionem probare neutquam pos-sum, priusquam disciplinarum quis orbem absolverit. Nam omnium curata lectio longi temporis res est. At quemadmodum, qui diu admo-dum abfuerit domo, reverti obliviscitur : ita qui in historicorum illis annos complures trivere, non facile ad disciplinarum orbem redeunt. Quare post lectos aliquos nobiles scriptores, qui verè, & eleganter, tem-pora tradiderunt ; aliquamdiu sussecerit noſſe, quibus in scriptoribus singula plenius perscrabantur, ut, si opus sit, eò recurratur : ubi opus non est, ad disciplinas alias graſſemur.

12. §. *Hec de historia veri : sequitur ſīta. Ut illa epicorum.*  
*Niſi malis dicere mixtam ē vera, & ſīta. In hac verum est*  
*ā falso diſcernendum. Quod ſi ſiat, histeria, que vera eſt fa-*  
*pientie, ac prudentie, mater, multum inde accipit lucis. Ex*  
*ſītis etiam cruenda eſt myſtica interpretatione : ſub eius invi-*  
*luero, nunc nature myſteria, nunc prudentie precepta, con-*  
*nentur.*

De natura mysteriis liquet ex Heraclidis allegoriis : longèque mani-festius eſt ſītis exemplis virtutem doceri à poetis. Ut Poētice eadem fit utilitas, ac historiæ. Imo Aristoteles dicere non veretur, Poēticen habere conjunctionem majorem cum Philoſophia, quam Historiam ipsam : quia hæc tantummodo narrat, quid contigerit ; Poētice au-tem, quid fieri debuerit. Itaque nec Horatius dubitat laudem eam tri-buere Homero, quid melius, pleniusque, quid honestum, quid turpe, quid utile, quid inutile fit, doceat, quam philoſophi ipſi. Atque hæc cauſa eſt, cur olim à Poētis ſoleant aufpicari. Sed de Poētica ſcorum pluribus agemus.

13. §. *Prodeſt Historia, tum Grammatico, quatenus facit ad scri-*  
*ptores melius intelligendos : tum ceteris ſtudii, que histeriam*  
*de ſu.e artis, ac ſcientie, ſcriptoribus noſſe debent : in primis verò*  
*Theologie, ac Politice : illi propter histeriam Ecclesiasticam :*  
*huius propter histeriam civilem, de qua poſtea dicemus.*

Hanc rem fuliūs persequimur oratione de histeria : que jam juris facta eſt publici. Etiam vide ſis, que de utilitate histeriae ferribit Alcia-tus præfat, notatum in Taciti annales ; David Chytrius de lectione

# DE PHILOLOGIA.

74

historiorum, & cæt. Et sanè antiqui Patres, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, aliisque, historiis, omnique literaturâ, fuerunt excultissimi. Etiam Romanæ antiquitatis notitiam verè dixeris incunabula Iuris prudentiae.

**14. §. Ac magnum in primis illud est historie bonum, quod specimen sit providentiae divine.**

Quæ & in Iudaicis, & Christianis, & gentilium rebus, dilucet. Aliquantò fusiūs hæc diducam, quam alia hoc in opere soleo: atque id propterera, quia omnium nobis studiorum finis pietas esse debet: nec ulla æquè nos ad Deum ducant, quam Historia, Physice, & S. Scriptura. Nunc de Historia loquar. Omnis historia exponit, vel quæ Deus per se, aut Spiritus ministros, fecit; vel quæ homines egerunt. Atqui si providentia Dei etiam se exserit in minima re quoque, cum nec pauperculi in terram concidant citra voluntatem patris cælestis\*: quam eum curam gerere putandum vitæ, & aëtorum hominis? Cujus rei singuli quidem capere ex nobis exemplum possimus; si cogitare velimus, quoties ab incunabulis per omnem vitam divino beneficio liberati sumus ab igni, ferro, veneno, infidiis, aliisque periculis. Sed malo paullum insisterem sacro exemplo patriarchæ Iosephi; cuius ex vita undique divina eluet providentia. Hunc cùm fratres, præ invidia, perditum ire vellent; Israhelitis vendiderunt. At Deus scelus eorum dirigit ad gloriam Iosephi, ad fratribus, & Iacobi, salutem, ad Ægyptiorum bonum, & ipsius Pharaonis. Somnium, quod Deus immiserat Iosepho, invidiam illi fecit. Somnium Pharaoni immisum, è squalle situque carceris Iosephum exemit. Cùm nihil pastoribus esset invisus apud Ægyptios; Rex Ægyptius Israhelitis optimos regni agros assignat. Nimurum sicut agriculta fulcis aquam derivat per prata: sic, ut Salomo t' ait, Deus inclinat cor Regis, quo visum est. Atque hæc singulos potius spectant. Qui si citra providentiam nec exiguo tempore subsistant; quantò minus absque numinis curâ tot seculis durare imperia illa possent! Et profecto longè ea res humanam exasperat sapientiam: quod sateri cogemur, si attendamus ad improborum multitudinem, & tot casuum incertum, ac quasi agnatas vices. Multoque hæc manifestiora sunt, quoties Dco visum est transferre imperia de gente in gentem. Excitat enim ille tum Cyrum aliquem, aut Alexandrum, aut Cesarem; cui illa quoque, quæ ex humana sapientia minimè pendent, non modò ex voto fluunt, sed etiam supra votum. Atqui ut Venerem semel iterumque jacere casus videtur:

\* Matth.  
10. 29.

1 Proverb.  
33. 1.

videtur ; centies verò id præstare, est artis opus : ita unus, alterque felix successus poterat videri à temeritate fortune : sed quod, in solita hac rerum humanarum varietate , tanta est similitudo eventuum , qui in unum conspirant ; id verò non aliunde esse possit , quām à provida ejus cura, qui universum temperat. Sed nimium quantum à nobis abit Epiceri schola. Quippe contra planè ex vita humana , cuius speculum est historia, colligit illa, Deum non curare mortalia. Prota, & puppis, ei est querimonia hæc vetus ; quod bonis sit male, malis bene. Quod divinæ bonitati, ac justitiæ, ait repugnare. Gravis prosector ea est, ut nūminis, ita historiæ etiam , accusatio : de qua si idcirco paullo fuisse dixeris , venia mili facile dabitur. Nam penitus evellendus est error tam pestilens ex animis mortalium. Nimirum misericordis illis imponit , quod tam facile judicium ferunt , priusquam conspiciant rerum exitus. Ut si quis ex divendito Iosepho, aut Absolomō, eum pro patre regereret, sententiam pronunciareret ; nec ea considereret , que postea contigerunt. Quale quid , ut de notissimo Davidis \* exemplo tacem , etiam Clau- \* 14.15.1. dianus poëta tibi obvenisse agnoscat ; cum Rufinum, hominem improbum , videret ad summos honores elevatum. Hinc ingenua ejus confessio :

*Septe miki dubi. n traxit sententia mentem,*

*Curarent superi terras , an nullus inesset*

*Restor , & incerto fluenter mortalia casu.*

Sed audiamus etiam , quid revocarit eum ad mentem sanjorem :

*Absolut huic tandem Rusini ponat tumultum ,*

*Absolvitur Deos. Iam non ad culmina rerum*

*Injustos crevisse queror. Tolluntur in altum ,*

*Vi lapsi graviore ruant.*

Sistendum igitur judicium, usque dum videamus, quem res habitura sit exitum. Nam utcunque diu florent improbi ; postea tamen pœnæ tarditas ejus pensatur magnitudine .

Quæ sepiissime etiam liberos , ac nepotes, involvit. Non raro quidem transferuntur pī in fides meliores , priusquam Deus mirandum hoc judicium exerceat in malos. Sed quæ tum non vident pī , vident corum posteri : ut innumeris docemar historiae exemplis. Quare non in exigua vita particula animus nobis defigendus ; sed circumferendus ille per historiam, ac vitam universam : ne timiles iis videamur , qui in pictura , vel statua , non singulas partes accuratè perlustrant ; sed digitis , vel auriculis artificio, obstupescunt ; ita ut nec uno totum adspectu contemplentur. Sunt verò & aliae tam gravis erroris causæ. Quid autem impedit,

## DE PHILOLOGIA.

76

impedit, quod minus in his etiam ad fontes digitum intendamus? Eadem enim & Deo honorem suum vindicabimus, cuius illi providentiam negant; & genuinum tutabimur historiae decus, ne Fortunae ea potius, quam Providentiae divinae, speculum existimetur. Est vero aiterum ejus, quem dixi, erroris caput, quod sententiam tam facilè de bonis ferunt; cum, qui boni sint, ignorent. Bonus, inquit, Pompejus vineitur a Cæsare: cuius cauissam etiam Cato improbat. At quid si negemus, & Pompejum inter bonos reponi oportere? Nec enim minor erat ejus ambitio, quam Cæsaris. Non majorem cerebat Cæsar; ne parem quidem Pompejus. Vrque infidias fruebat libertati Reipublicæ. Soloni teatis id faciebat Pompejus. Nec dignus ille ulterius favore erat numerinis; qui viatio, vindictaque Aristobulo, referasset Hierosolymis sancta sanctorum\*, locaque ea profanis oculis lustrasset, & pedibus calcasset,

\* Isop.

lib. 14.

Tacit. lib. 21.

Annot.

lib. 18. c. 45.

Nec mindes errant, quod bona pro malis habent, mala pro bonis. Bonum, inquit, est bonus præturus: in qua Vatinius prefertur Catoni, pesimus optimo. Bonum vero quod noxiuum? Atqui honores, & opes, si in malos incident, in perniciem cedunt. Nec bona sunt, quoties iis frustrantur boni, vel his fraudantur ab improbis: quin sepe ea est via ad virtutem, & gloriam. Fateor quidem, non hoc sibi improbos propositum habere, cum vexant bonos: sed tamen hoc sibi proponit Deus, cum vexari bonos permittit. Quemadmodum igitur non inclemens est medicus, cum membrum putridum urit, & fecat; neque hic presentem cogitare dolorem eopportet; sed secuturam corporis sanitatem: ita neque Deus est immisericors, cum opes, vel honores, eripit bonis; quia, ut, quid iis vere bonum sit, videt; ita ab eo quoque providet suis. Verum, inquit, miserum est probos ab improbis vita ipsa exui, que non reddit. Quomodo & suo, & Athenarum malo, sublatus est Socrates; qui ab oraculo pronunciatus erat hominum sapientissimus. Sed temere sibi sumuit, quod vitam negant redire. Quantò melius Euripides, vitam hanc verius esse mortem, & quod mortem vocamus, vitam. Nec vel Socrates morte sua miser, vel eà Athenæ infelices. Quantillum enim est, quod Socrati paucorum annorum vita deceaserit: qui sortasse morbis, ac miseriis sufflent impliciti. Profecto leve hoc sempiterni nominis gloria abunde pensatur. Athenæ vero Socratem quidem amiserunt: sed accepere exemplum constantie in morte; quod faces, & stimulos, adduceret ad pietatem; & metum nimis, quantum cæca illa gentilium religio pateretur.

15. §. Atque ex his abunde cognoscitur Historie natura, & multiplex

triplex utilitas. Quod si qui h̄is, & similibus, accensi, diffundere se parent per latos, letosque, Historie omnigenae campos, serio eos monendos censeo, ut ne quasi terris ignotis, sine duce, diu, multumque, vagentur incerti: sed prius cum animo suo dispicere serio velint, quibus, & quo ordine legendis, certius, facilisque, comparare sibi notitiam possint Historie universae.

Qui animum ad historiam appellere volet, optimè auspicabitur à generali notitia omnium locorum, ac tempore. Ac propterea primum è generali aliquā totius orbis tabula addiscet præcipias mundi partes: & quibus limitibus haec distinguuntur.

Hinc leorū generales Europeæ, Asiae, Africæ, atque Americæ, tabulas contuebitur: ut inde cognoscat præcipuarum regionum situm. Addo his typum veteris Imperii Romani.

Ab hinc venienti ad tabulas particulares regionum; de quibus præcipue tractant historie. Ut Palatinæ, & vicinarum regionum, ob historiam sacram. Item Italiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ.

Vetus situs optimè cognoscetur e tabulis Ptolemaicis à Mercatore concinnatis. Longeque emendatiū brevi prodibunt industria Ioan. Blaeu, cum castigationibus & notis filii mei Isaaci. Vtile etiam est, ad manum semper esse Onomasticon, sive, ut ipse inscriptum, Thesaurus Geographicum Ortelii; donec ubiorem oibi dederit officina Blaeuviana. Breviter ex antiquis orbem descripsere Mela, Plinius, Solinus, Dionytius in ~~Geographia~~. E junioribus Glareanus, & Cluverius.

Fulē, & graviter, de omnibus olim Strabo; quatenus quidem orbis tunc cognitus erat. Sed partim ut recens simul situs addiscatur; partim quod superiori seculo, novis terris inventis, Geographia accessit; operæ fit addere Geographica Bertii, & Ortelii theatrum orbis terrarum, aut Atlantem Mercatoris: potissimum novum Atlantem Guil. & Joan Blaeu.

Vbi quis ex sex septem tabulis, & compendio aliquo Geographicō mediocrem sibi notitiam parat nobisū terrarum, & præcipuarum in iis urbium: pari ratione ex canone aliquo Geographicō addiscere opus erit generalem evi omnis descriptionem. Vbi conducent duo canones illi Chronologici, Vbbonis Emini, quos compendiosos, & succinctos appellat, ac pleniori, & futiori tue Chronologie p̄mitit.

Multum tamen lucis accelerit, si distincte omnia tempora quatuor tabulis proponantur. Quarum prima continet res Hebreorum, ab orbe condito, usque ad excidium Hierosolymitanum.

*Aliera* complectatur res Asyriorum, Medorum, Persarum, & Græcorum.

## DE PHILOLOGIA.

78

corum. Ex quibus Assyriæ res incipiunt à Nino, Medicæ ab Arbace, Persicæ à Cyro, & Græcæ, prout hic considerantur, ab Alexandro Magno : definit autem in Cleopatra ab Augusto devicta.

Tertia tabula continueat res Romanas ab Romulo usque ad divisum imperium inter filios Theodosii ; vel usque ad Romanam ab Odoacro captam.

Quarta tabulis duabus quasi proponat hoc Orientis Imperium, usque ad captam Constantinopolin : inde imperium Occidentis, usque ad nostra tempora.

Pleniū hæc repræsentabunt Eusebii, & Zonaræ Chronicon ; cum appendicibus Hieronymi, Prosperi, Marcellini, & utriusque Palmerii. Item Chronologia Bucholceri, & Calvisii. Et Chronicon a. [unclear] Carrione, M. [unclear] P. [unclear] conscriptum. Sed in annorum ratione sequendi potius juniores ; presertim in annis mundi.

Vidimus de generali notitiâ omnium locorum, & temporum : deinde veniendum ad particularem. Ac prout historia erit, it: ei præmitti debet notitia regionis, de qua historia ea tractat.

Non dubium autem, quin in historia particulari incipendum sit à sacra : five rebus Hebreorum, Veteri Testamento præscriptis : & vita Christi, ac Apostolorum ; de quibus in N. T. Hæc summatum comprehendit Sulpicius Severus ; ac penè historiam sacrā perducit ad annum à Christo nato cccc. Cui addere non inutile sit Historiam ecclesiasticam Pappi, & historiolas, quas in Chronologia sua habet Abrahamus Bucholcerus. Hæc initio sufficiunt.

Postea verò utramque perficiunt hanc partem Iosephus, Eusebius, Socrates, Theodoretus, Euagrius, Nicephorus. Item Anastasius, Luitprandus, Abbo, & Platina de vita pontificum. Sed futissimè omnium G. [unclear] B. [unclear], Baronius ; cuius gemina extat epitome. Iudicio verò exiguo opus est in G. [unclear] in Baronio, [unclear] quem interea negare non possumus præclarè meritum esse de antiquitate Ecclesiastica.

Post cognitam Ecclesiæ historiam, quid turpis ignoramus, quam quæ vel nostris, vel parentum, aut avorum, vel proavorum temporibus, partim terris contigerunt nostris, partim vicinis ? Hæc enim cum vulgo etiam cognita sint, & in conviviis, ac circulis narrari soleant, omnino turpiter le homo dederit literatus, si ista nesciat, quæ sunt quasi ante pedes. Batavo igitur necesse sit scire, quo pacto Comitatus Hollandie ad Hannonios, hinc ad Bavarios, postea ad Burgundios, inde ad Austriaeos, atque Hispanos pervenerit. Item gesta Caroli V. Initia tumultuum

tuum Belgicorum, bellum quod tot annis duravit; & quæ interea temporis memoratu digniora in Germania, Galliâ, Britanniâ & vicinis evenerunt terris. Nec noscere ea magni erit laboris, qui à pueris etiam pleraque eorum à parentibus, & senibus auditimus. Operæ nihilominus fuerit legere etiam historicum unum, alterum, qui breviter ista sint complexi; uti à nonnullis Chronologis factum.

Postea autem hæc fusiū discere licebit e Sleidano, Thuano, Cambdeno, Meterano, Borrio, Reidano, aliis.

Postquam res maxime memorabiles temporum nostrorum, & seculi, quod proximè antecepsit, animo inscripserimus, accingemus nos ad gentium Scriptores antiquos. Atque ex his primi legendi, qui res tractant Romanas. Cujus rei ratio satis est aperta. Nam auspiciari studia solemus à Cicerone, & aliis Scriptoribus Latinis; qui absque mediocri intelligentiâ historiæ Romanæ intelligi minime possunt: ut in quibus passim Romuli, Numæ, Tarquinii, Camilli, Marii, Sylle, & aliorum ducum Romanorum, mentio fiat.

Summatum autem res eas cognoscere licebit ex Floro, cum commentariis Stadhi, Vellejo, Eutropio, Sexto Aurelio Victore, Rufo, Pomponio Læto, & Baptista Egnatio de principibus Romanis. Conducet & Zonaras. Sed accuratius de istis è Latinis quidem Livius, Sallustius, Cæsar, Suetonius, Tacitus, Spartanus cum annexis Historiæ Augustæ scriptoribus: item Ammianus. E Græcis, Dionyius, Polybius, Plutarchus, Appianus, Herodianus, Dio, Xiphilinus, Agathias, Procopius. E junioribus plurimùm juvabunt annales Stephani Pighii. A rebus Romanis veniendum ad res externas: hoc est, Asyrias, Medianas, Persicas, Græcas. De quibus strictum Iustinus, Cornelius Nepos, & nonnihil etiam Vellejus, atque Orosius; & ubi hi detinunt, Zonaras. Plenius autem de omnibus Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus: & e Latinis, Curtius in Alexandri gestis.

Postremus locus est Historiæ (ut cum Romanis sic loquar) Barbaricæ: hoc est, gentium earum, partem quæ obtinent veteris Imperii Romani, aut nunquam sub eorum imperio fuerunt.

Hic primò quisque ordinetur ab antiquitatibus sive gentis. Ut Batavus à Batavis, de quibus Grotius: item Duza in annalibus, etiam Ioannis à Leidis, & Beka: brevissime autem Barlandus: majori curâ filius meus ò ~~μαραζετης~~ Matthæus Vossius ab initio Comitatûs Hollandie usque ad ea tempora, quibus à Iacobo Bayara translatus est Comitatensis honos ad Ioannem Burgundum.

Inde ad gentes alias se conferet: atque eas primūm, quibuscum na-  
tioni suā aut fædus est, aut bellum. Vtile autem in quavis gente erit,  
unum aliquem feligere, qui potissimum in ejus gentis historiā obtinere  
videatur. Ut in Gothicis Iornandem, in Longobardicis Paullum Dia-  
conum, in Slavicis Helmoldum, in Francicis Paullum Æmilium, in Hispa-  
nicis Marianam, in Scoticis Buchananum, in Flandricis Mejerum, in  
Burgundicis Heuterum, in Austriacis Lazium, in Saxonici Crantzium,  
in Danicis Saxonem Grammaticum, in Boicis Aventinum, in Hungari-  
cis Bonfinium, in Polonicis Cromerum, atque ita in aliis.

F I N I S.



# A D D E N D A

huic Operi

## D E P H I L O L O G I A.

**P**ag. 3. v. 21, post vocem *Eloquentia*, adde :

Eloquentia est instrumentum hominis Politici; non quidem ad prudentiam civilem consequendam, sed exercendam. Nisi laxè lubeat prudentiam capere, quatenus tum in agendo, tum in dicendo consistit.

Pag. ead. v. 32, post *civilis*, ut. adde : tum ipsi bene ex naturæ, sive rationis, praescripto vivamus, tum ut

Pag. 9. inter v. 14 & 15, adde :

In his Arignote, quæ de Gestis Dionysii Tyranni scripsit, Ἀριγνώθηται Διονύσιος τελεταρίου. Memoratur Clementi Alexandrino lib. iv. Stromat.

Hestia Alexandria Grammatica scripsit, utrum, quæ Homerus retulit de bello Trojano, fabula sint, an historia : ut Strabo refert lib. xxi. Meminit & Anonymus in Iliad. Γ.\*

Arete, Aristippi Cyrenaici, qui Socratem audivit, filia, à parente suæ instituta; ut ab hac filius Aristippus, ex eo dictus *antecedens*, Atque ab hoc Aristippo Theodorus, qui primò *άριστος*, postea *θεόδωρος* appellatus est. Ut de singulis horum auctor nobis est Laertius lib. ii.

Pag. 10, post. lin. 16. adde :

Eruditam Canii uxorem Theophilam laudat Martialis lib. vii. epigr. 68;

*Hæc est illa tibi promissæ Theophila, Cani,*

*Cujus Cecropia pectora dote madent;*

*Hanc sibi juare petat magni fensis Atticus hortus,*

*Nec minus esse suam Stocca turba velit.*

*Vixet opus, quodcumque per hanc emiferis aures :*

*Tam non fæmineum, nec populare sapit.*

*Non tua Panthenis nimium se præferat illi,*

*Quamvis Pierio sit bene nota choro.*

\* pag. 61.  
ed. 1. 1. 1.

*Carmina fingentem Sappho laudabit amatrix:  
Castior hæc, & non doctior illa fuit.*

Pag. XII, post v. 14. adde:

Iustiniani Cæsaris temporibus claruit etiam Theodora, orta à Sampsigeramo, & Monimo: à quibus & Iamblichus genus ducebatur. Fuit hæc foemina gentilis: sed nec philosophia imperita, nec Poëticæ, vel Grammaticæ; immo ad Geometricas, & Arithmeticas speculations evecta: instituta autem ab Isidoro Philosopho, & Damasco Damascio: quorum hic vitam illi Isidori dedicavit. Auctor Photius cap. CLXXXI.

Pag. XIII, post v. 20. adde:

Anno 1130 obiit Aleonora Regina, Guilhelmi, Aquitaniae Ducis, & Piertonum Comitis, filia; prius Ludovico, Regi Gallie, exinde Henrico II, Angliae Regi, nupta, & ex eo mater Ioannis Angelorum Regis. Ab eruditione, ac prudentia, multam celebrata est. Scripsit epistolas ad Cœlestinum Papam, Henricum Cæsarem, Richardum & Ioannem filios. Vide plura apud Matthæum Parisium, nec non Balæum.

Pag. ead. post v. 36. adde:

Anno 1151 Alexandra, Bartholomæi Scalæ filia, Florentiae nata, Latinas Græcasque literas docta claruit; quod etiam testatur Angelus Politianus epigrammate, quo eam celebrat. Decessit anno 1156.

Pag. XIV, v. 28, post *commandant*, adjunge:

Obiit Heidelbergæ 26 Octob. ætatis suæ anno 28.

Pag. ead. v. 36, post *Anglum*, appone:

Latinis, Græcisque, literis egregiè exculta fuit. Annos nata XVII, Christi anno 1151 LIV, ob non repudiatos Angli Regni honores decollata est, unâ cum marito Gilberto Dudlejo, filio Ioannis, Ducis Northumbriæ, cui anno præcedenti cervices præcidi jussérat Maria, Angliae Regina.

Loïsa Sigæa Toletana Græcas itidem, & Hebræas literas didicit; ac propterea à Lusitanæ Regina intra aulam recepta inter illustres feminas; Obiit anno 1151 LX.

Anno 1151 CV Iuliana Morella Barcinonensis, virgo Hispana, ætatis suæ duodecimo, Cappucinorum habitu induita, publicè Theses Philosophicas defendit: quas inscripsit Margaritæ Austriacæ, Hispaniarum, Indiarumque, Reginæ. Morella hæc tum Latinè docta, tum Græcè etiam, ac Hebraicè; nec Philosophia modò, sed & Iurispruden-

prudentiæ studiosæ; Musicis etiam instrumentis canere perita; artibus etiam aliis exculta. Narrat Gretzerus in Posthumo rerum Variarum opere à Stegelio collecto, lib. II, cap. IV: ubi additur, florere etiamnum Lugduni in Galliis. Obiit vero Gretzerus anno hujus seculi XXV, ut triennio post illa postuma prodierint.

Pag. LVI, v. 12, post XXVI, adde:

Ætatem ejus plenius ostendo lib. II de Histor. Græc. cap. III; uti & patriam Alexandriam, non illam Ægypti, aut Syriae, sed opidum Sufianæ ad sinum Arabicum, inter Tigrim, & Eulæum fluvium. Præterhunc Dionysium Alexandrinum duo fuere alii ejusdem nominis, qui σεμνήσις scripsere; Milesius unus, qui ipso etiam Herodoto antiquior; alter Samius, aliis Rhodius dictus, quod Rhodi habitaret, atque ibi Sacerdos esset Solis. Plura, sis, pete ex dicto cap. III; neque enim actum agere libet.

F I N I S.



# INDEX

## RERUM & VERBORVM OPERIS DE PHILOLOGIA.

*Numerus prior, qui Romanus est, caput signat; alter, qui barbarus, paragaphum; tertius, qui itidem barbarus, paginam; litera vero A Addenda signat. Si numeri barbari complures concurrant, qui coherent, commate distinguntur.*

### A

**A**brahamus Bucholcerus Chronologiam scriptit. xi, 6. 65. 67.

Abrahamus Ortelius multum meritus est de Geographia. xi, 27. 64.

Acuſlaus Argivus de Genealogiis egit. xiiii,

3. 67.

Adolescentia naturā proclivis est à labore ad oculum; edque subinde fuscitanda est. ii, 10. 17.

Aelius Harpocratio Sophista egit de vocibus, quæ Rhetoribus ignotæ. v, 17. 37.

Aethicus Ister an auctor sit Itinerarii Antonino Augusto tribuit. xi, 16. 59. 60.

Aeschylus proverbia collegit. vi, 1. 38.

Agathius Grammatica docta, Suidæ Αράζαλης, & rectius, dicitur. ii, 3. 9.

Agathemerus Ortho quid in Geographicis scriperit. xi, 7. 56.

Agathodæmonis tabule, secundum Prolo-  
mem de scriptis, omnium antiquissime sunt. xi,  
22. 62.

Alibipedes Arabs quid in Cosmographicis praefiterit. xi, 19. 60.

Aldus Nepos scriptit de Ἱεροφαίᾳ. iv, 11.

29.

Alconara primū Gallia, dein Anglia, Regi-  
na ob eruditiorē laudata. A. 82.

Alexandra Florentina femina erudita. A. 81.

Alexandrini Hypatiae corpus disceptum fru-  
strati sparsere. ii, 3. 11.

Amalafuenta, Theodorici, Gotherum Regis,  
filia, Athalarici Regis mater, quam erudita, ac  
præcīens fuerit. ii, 3. 11. 12.

Amarias Macedo de verborum originibus  
egit. v, 16. 37.

America avorum ævo prius à Columbo, ac  
post ab Americo Vespuccio, fuit detecta. xi, 26.

63. quamquam Atlantis Platonica ed referri debere videatur. *ibid.*

Americus Vespuccius post Columbum Ameri-  
cam detexit. xi, 26. 63.

Αιανθία ad ὡστεταν spectat, ac primus eam defendit Aristarchus. iv, 8. 27. perperam quibusdam ἐνυγλοζα dicitur. *ibid.* vocis οὐτων conide-  
rat. iv, 9. 27.

Ananias invēni Iambūn. ix, 6. 50.

Anaximander Milesius, primus ferè post Homerum Geographiam attigit. xi, 7. 53. 54. ejus  
etas. *ibid.* xi, 20. 60. 61.

Andreas Schottus Heracleotæ Diogeniani ac  
Zenobii, proverbia edidit, adiūditque duplēcēm  
appendicem. vi, 8. 39.

Angela Zabata femina erudita. ii, 3. 14.

Anna Commena, Alexii Commeni filia, Ale-  
xiadem scriptit. ii, 3. 13.

Anna Maria Schurmannna laudata à variis illu-  
guarum, artium, doctrinarumque, notitia. ii, 3.  
14.

Αιρεγλαδια ad ἐγνηπαν speflat, ac primus  
eam defendit Crates. iv, 8. 27. perperam quibusdam  
ἐνυγλοζα dicitur. *ibid.* vocis οὐτων conide-  
rat. iv, 9. 27.

Antilius Labeo ex verborum proprietate dif-  
ficillimes juris nodos solvēbat. v, 6. 31.

Antonini Martyris itinerarium quando scri-  
ptum sit. xi, 18. 63.

Antonius Augustus an auctor Itinerarii. xi,  
16. 19.

Antonius Augustinus Feli fragmentum ex  
Farnesiana biblioteca restituit. v, 12. 35. de fa-  
